Ciceronis oratio pro Archia, logice resoluta ab I. Erasmo. Hafn. 1590.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

48, - 114.

LN 501
ex. 1
M

BIB. REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

M. T. CICERONIS
ORATIO
PRO
AVLO LICINIO ARCHIA POETA,
LOGICE RESOLVTA,
ET,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
Hafnienſi ſtudioſæ iuuentuti
propoſita,

A

IOHANNE ERASMO
HAFNIENSI.

Acceſſerunt notæ quædam Rhetoricæ: & locorum quorundam copioſior explicatio, cum didagmatum orationis ad ſuas ſcientias accuratè, & ordinè reuocatorum, notatione, ad calcem libri rejjecta. Quæ, vt candidus lector boni conſulat, vehementer etiam atq; etiam oro.

HAFNIÆ,
Impreſſit Laurentius Benedictus.
1590.
Cum gratia & Priuilegio Regiæ Majjeſtatis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1





H. V.

B.R.II.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

GENEROSIS DOMI-
NIS, GENERIS SPLENDORE,

PIETATE, PRVDENTIA ET OMNI VIRtutum laude cumulatiſsimis, D. Nicolao Kaas, Hæreditario Domino in Taarupgaard, Sereniſsimæ Regiæ Maijeſtatis Daniæ Cancellario, erudita doctrina Excellentiſsimo, Academiæq; Hafnienſis conſeruatori ſupremo: Et, Fortiſsimo Heroj D. Hacchio Vlſtand, Holgerj equitis aurati Filio, Hæreditario Domino in Hicchebierg, & regij pallatij Magiſtro: Gubernatoribus in quatuoruiris, qui nunc in puppi Regnorum Daniæ, & Noruagiæ ſedentes, clauum tenent: gratiam, pacem apud Deum & homines, omniumq; rerum animi, & corporis proſperum ſucceſsum

IOH: ERAS: H.

*OMNI ANIMI SVBMISSIONE, AC PIETA*te precatur*:* Hoſque Secundæ Profeſsionis ſuæ primos fructus in STRENAM Noui ANNI *91.* reuerenter offert. Qui, vt G. V. lætis auſpicijs ineat, lætioribus procedat, lætiſsimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior: ex animo optat.

IN communj rerum vniuerſitate, Magnifici, & Generoſi virj, quâ omnia continentur: atq; etiam in partibus vitæ præcipuis, non aliud, cum à pietate, quæ

ſecundum fidem eſt, diſceßero: vel præſtantius, vel magnificentius bonum, ipſâ dicendi facultate, parens omnium Deus Opt: Max: produxit: neq; tam diuinum ac ineffabile beneficium clementiß: idem Deus noſter, mortalium generi conceßit. Nec etiam, vt mihi videre videor, tam hebeti ingenio ferè quiſquam eſt, vt, cum rectè rem mente animoq; luſtrauerit: erudito quodam orationis genere, & ad omnem aurium voluptatem animorumq; motum, & ad commune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodato, opus eſſe non ſentiat. quo, quoſcunq; inter homines, quocunq; in loco, quid res, quid tempus, quid cauſa ferat, aperiamus: idq; ita tenebimus tractabimuſq; dicendo, & magna grauiter, & mediocria temperatè: atq; ita comparemus omnia iudicio, & prudentiâ, vt, inſtitutam noſtram ſententiam ſequantur iudices, ac auditores. Atq; illud facere poterimus, ſi, cum ampla ſententiarum grauitate, & mayeſtate verborum, ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati erimus. & in eo magis elaborabimus, ne, ſit rebus ipſis diſpar, &, inæquabilis oratio. Nec ego hoc in loco diſputo de eloquentia, quæ non eſt iuncta cum ſapientia: ſed, de virtute animj loquor,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

de celeritate mentis, de lumine ingenij ad dicendum. Quæ omnia etſi eloquentiæ abſolutiſsimæ fuerint ſolùm: tamen mediocris etiam vis, ac facultas dicendi, non ſolùm accurata quadam in doctis, oratione in primis neceſsaria, & laudabilis eſt: ſed etiam cum in foro cauſisq; ciuilibus, tum, in alia quauis hominum multitudine. Vnde ego & in hoc ipſo alijs maxime aſsentior, nullam inculpatam in multis ſuauemq; viuendi rationem eſse, nullam conſpirationem hominum, atq; conſenſionem in rep. benê gerenda, nullam deniq; amicitiam magiſtratus cum optimis ſubditis, quam non eloquentia conſeruet, regat, & tueatur. Nec, fortè, vt Ciceronis verbis vtar, gens tam immanis atq; fera vlla eſt, quam non, etiamſi fuſa per agros ac diſperſa vagetur, tantumq́; habeat, vt ſibi victu ferino vitam propaget, nec ratione, ac ingenio quicquam adminiſtret, ſed plæraq; viribus: eloquentia mitẽ reddat, & manſuetã. Quid? an non homines diſsipatos inter ſe primò domicilijs, deinde ſanctiſsimæ ſocietatis rellıgione, tûm verò, ciuitatum atq; regionum amicitiâ, conjunxit eloquentia? Nam, & ea ex honeſtiſsimis cauſis nata, atq;, optimis rationibus profecta, pòſt frequentata delectatione, in omnj pacata ac libera ciuitate, ſummam vim habuit ſemper ac poteſtatem: &, in rep.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

inſtituenda, de legibus, de æquitate, de frangendis hominũ cupiditatibus, confirmandis moribus, tantũ luminis attulit immanibus, ac barbaris nationibus, vt, homines & rationis ac orationis ferè expertes, à conſuetudine beſtiarum conuerteret, &, ad diuerſas vitæ conditiones traduceret. Ac quis ignorat, homines ſummis ingenijs præditos, qui remp. gererent, tutam tranquillamq́; pacis, & ocij vitam non conſequutos eſſe ſummo eloquentiæ ſtudio, & præclarâ moderatrice rerum omnium, Sapientiâ? quis, enim, eſt qui regere ac gubernare hominum conſilia poſſet, quæ ad omnes res, & priuatas & publicas pertinent: niſi ſapientiæ præſidio eſſet eloquentia? quis etiam Theologus, qui parens bonus ac paſtor fidelis eſſe deberet, de relligione, de rebus diuinis, ceremonijſq́; ſacris, dogmata exponet, aut, in concione ad populum, aut, priuatim ad Magnates, aut, deniq́; ad regem aliquem, vel principem in concilio, niſi poſſit dicendo tenere hominum cœtus, allicere mentes, voluntates impellere, atq́; ita omnia ad vulgarem popularemq́; ſenſum quodam orationis nitore, accommodare? quis Philoſophus, qui in rebus occultis, adeoq́; ab ipſa natura inuolutis, verſatur, nobiliſſimam illam atq́; immenſam rerum omnium cognitionem, earundem procreatricem, & quaſi parentẽ

quam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

quam, Philoſophiam dicimus: in lucem admirationemq́ adduceret, niſi mediocri quodam dicendi ſtudio inſtructus eſſet. Quid multa? Solem è medio tollunt, qui, eloquentiam ejuſq́ autores faſtidiunt. quâ nihil tam admirabile, tam magnificum, tam regium: nihil porrò tam neceſſarium Dej Opt. Max: conceſſu, & munere hominum ingenijs tributum eſt.

Itaq́, cum hæc ita ſeſe habeant, ac veriſſima ſint, nunc tandem, orationem meam ad vos conuerto, Generoſis: & Ampliſſimi viri, Dñi. & Mecœnates mei Præſtantiſſimi. & ratio reddenda eſt, cur hanc Analyſin meam in Orat. Ciceronis, Excellentiſſimi Latinæ eloquentiæ fontis, pro Archia Poëta G. V. nuncupare voluerim. Sed tua, M. D. Cancellarie, patrone benigniſſime, ſingularis humanitas in primis mihi compellanda eſt. Qui, vt aliàs ſepiùs, ita præcipuè ante annos decem, in arce Friderichsburgiana ſingularem erga me beneuolentiam, ſummamq́ in promouendis ſtudijs meis benignitatem propenſionemq́ declaraſti. Quare, ſemper interim cogitans, quonam officiorum genere M. T. aliquando viciſſim gratificari poſſem, nullam hactenus rationem ſatis idoneam inuenire potui, quâ, vel minima in parte gratiam meritis erga me tuis referrem.

hoc,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

hoc, verò tempore, quæ, ad M. T. ſcribendi occaſio mihi oblata ſit, paucis exponam. Superioribus annis, cum hanc, quam modo nominaui, orationem auditoribus meis enarrarem: in ea, quóad fieri potuit, filum orationis ad Dialecticorum ſecretiores fontes, Socratica quadam libertate retuli: vt, illis (auditoribus meis) vſum præceptionum Dialecticarum oſtenderem. et Tropos, ac cætera Ornamenta Rhetorices declararem. Quantum, autem, momenti ad certam ac copioſam elocutionem afferat exercitatio Dialectica, & Rhetorica: manifeſtius eſt, quàm, vt à me oſtendi debeat. Neq; exilitas iſta, & quaſi ſcrupula quædam exquiſitionis à quoquam deſpici par eſt. Nam in bona, diſerta, & præclarâ oratione, vt in magno pondere inſunt illa quidem, ſed, non apparent: &, vt libra & mina & talentum quid ſit, non niſi de vncia & denario intelligitur: Ita ſine horum cognitione, mayora & admirabilia extruentur nunquam.

Hanc, igitur, Analyſin, cum quidam amici, illiq; docti perlegiſſent, me, vt illam publici iuris facerem, hortari cœperunt. In quo, ſanè, etiamſi primo repugnaui, cum propter ingenij mei tenuitatem, tum rei ipſius infantiam, tum deniq;, quòd magna eſſet ingeniorum diuerſitas, & malitia: tamen

certis

certis tandem rationibus adductus, meam illis ope-
ram promiſi, me, videlicet, eâ demum lege hoc factu-
rum, ſi prius doctiſsimos D. collegas, & præcep-
tores ea de re conſuluiſsem. quare cùm nec horum
voluntas obſtaret, ceſsi amicorum petitioni libenter.
Atq; hæc orationis meæ pars de occaſione editionis ad
M. T. Generoſe Dn. Cancellarie, dicta ſit. Nunc
etiam ad te deſcendo, Magnanime Hacchi Vlſtand,
qui ortus ex familia, & originis vetuſtate, & ar-
morum contubernio diſciplinaq; nobiliſsima, ab ine-
unte ætate varijs inſuefactus bellis, patiens laboris,
& ad ardua quæq; militiæ munera capeſsenda
promptus, & audax: ardentibus proximis cruen-
tis bellis facilè turmæ præfectus euaſiſti. ac iam
nuper, cùm viuidæ tuæ virtuti nihil eſset imperui-
um, gratiâ & honoribus auctus, non dubitaſti du-
cere viduam, fœminam nobiliſsimam, & vxorem re-
lictam à Nobili D. Iohanne Schaugardio, (piæ me-
moriæ) Domino & Patrono meo perpetuâ gratitu-
dine celebrando. qui vt me à pueritia ſingulari bo-
nitate complexus fuerat, curſumq; diſcendi, iuuerit,
promouerit: ita properans cæcam fati libidinem
mœſtus hactenus defleuj. & quidem merito: cùm
ejus viri incredibile erga me ſtudium nullâ oratione
aſsequi poſsim. Sed nunc viciſsim me recreant ſecun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

dæ nuptiæ. & ex familia Generoſiſſima tuis virtutibus & ſplendoribus aucta, rurſus ſpem concipio de priſtino fauore, atq; benignitate erga me reſuſcitanda. Quare, & hæc cauſa eſt, quòd honoribus tuis hanc commentationem nuncupem, vt, meam erga Schaugardianam familiã, & ſimul Paſbergianam, voluntatem declarem: & ſpem de meis ſtudijs apud G. T. conceptam, confirmem. Chriſtus Ieſus, qui ſedet ad dexteram Patris, vobis adſit ſuâ gratiâ: faciat veſtrum coniugium ſalutare, & numeroſâ prole fœcundum, Amen. atq; hæc prima cauſa eſto.

Succedit altera. Cùm enim, omnium ferè ſcriptorum monumenta, in publicum emiſſa, nullo non tempore peracerbis iniquitatibus exercita ſint, tùm verò, noſtrâ memoriâ jlli, qui à majorum veſtigijs paululum deflectentes, concinniorem, & commodiorem, quóad fieri poterit, rationem in tradendo ſequuntur, quid amabo, ipſis magis neceſſarium eſt, quàm talem patronum quærere, cujus validâ autoritate, velut clypeo æneo, omnes aculeatos deſtinatosq; ictus egregiè, & leuj, quidem, negotio excipere: omniaq; inuidiæ pericula glorioſè euitare poſſunt.

Vltima cauſa, eſt ſimilitudo in re diſſimili. Enimuero, vt G. T. in bello Heroicâ, & Auitâ

quadam fortitudine militibus in acie prudenter di-
ſpoſitis, tendit ad victoriam: ita nos argumentis,
aut verè, aut probabiliter effictis, in oratione: per
vnum, & eundem rationis ductum, militum agmi-
nibus, argumentorum agmina opponentes, & teſti-
moniorum commeatu, atq; præſidio omnia confir-
mantes. Vt igitur, & hæc belli gerendi ratio ſcho-
laſtica, & Academica G. T. aliquatenus conſta-
ret, en Generoſe heros Hacchi Vlſtand, defero ad
Tuam Amplitudinem, & Magnificum D. Cancella-
rium, collegam in gubernandis hiſce regnis, tuum
prudentiſſimum: ad vos, inquam, patronos meos Il-
luſtres, hoc quicquid eſt chartacej muneris. idq; vt
pro ſigno effuſiſſimæ in veſtram Claritatem volun-
tatis, & ſubmiſſæ obſeruantiæ gratioſè accipere,
meq; in numero veſtrorum clientum habere digne-
minj, vehementer etiam atq; etiam oro, & obteſtor.
Quòd ſi G. V. gratum, & acceptum eſſe cognoue-
ro, annitar certè, vt alia nonnulla ejuſdem, aut
melioris, fortè, notæ in lucem breuj prodeant: quæ
aliquid lucis luci G. V. Deo mihi propitio, alla-
tura ſint.

Quod reliquum eſt, Dominus Chriſtus mihi
comprecandus, & obteſtandus eſt, vt cùm rem Da-
nicam G. V. & cæterorum duorum veſtrorum Am-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

pliſsimorum collegarum maturâ pietate, & prudentiâ, florentiſsimam eſſe voluit: ſpritus ſui gratiâ G. V. gubernet, ac tueatur ab omnibus maleuolorum hominum iniquitatibus. vt ad extremum vite ſpiritum vitam degant beatam. & eo, per rapida fata extincto, ambroſiâ, & nectare Diuinæ Maieſtatis, hoc eſt, diuiná gratiâ fruantur ſempiternâ, Amen. Rectiſsimè valeant G. V. Dabantur Hafniæ, ex Muſæo meo 15. Decembris Annj 90.

Sit tibi, Chriſte, Laus & Gloria.

G. V.

Subiectiſsimus cliens
Iohannes Eraſmÿ Haf.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

PROLEGOMENA IN ORATIONEM CICERONIS.

Pro A. LICINIO ARCHIA POETA.

ANTE orationis hujus explicationem, opera me precium facturum eſſe exiſtimo: ſi, qua fieri poterit perſpicua breuitate: auditores, de duobus, maximè ad intelligendam, &, memoriæ benè mandandam hanc orationem: neceſſariis capitibus, præmonuero. vtpote, de Argumento, &, de Methodo.

DE PRIMO.

AVlus Licinius Archias, poëta Græcus, Antiochiæ natus, &, ingenij gloria præſtans: audiens Italiam plenam eſſe græcarum literarum, ſe eò deportauit. quò cum veniſſet, multi præſtantes incolæ, vt, Tarentini, Rhegini, Locrenſes, Neapolitani: eum ciuitate donauerunt. ex quibus tandem profectus, Romam venit, C. Mario, & Q. Catulo Coſs. hîc verò, cum, propter excellentiam ingenij, morumq; ſuauitatem, & venuſtam compoſitionem: apud principem nobilitatem, in magno loco, &, honore eſſet: à quodam Gracchо, homine maleuolo, per inuidiam eſt accuſatus. quòd, nomen ciuis Romani, falsò vſurparet. Fingebat, enim, Grachus Archiam, ciuibus Romanis, non eſſe aſcriptum. eo, quòd ſciret tabulas publicas non tùm extare, ob bellum Italicum, quo illæ exuſtæ ſunt: continentes nomina aſcriptorum. Cicero verò, memor officij præſtandi præceptori, cauſam eijus defendendam ſuſcepit, ornatiſſimeq; egit: oſtendens contra Gracchum, Archiam verè eſſe ciuem Romanum, à teſtibus, &, aliis indiciis. de quibus infra. Ex quo conſtat, genus cauſæ eſſe, Iudiciale. Statum verò, Coniecturalem. Syllogiſmus, qui ſcopum totius huijus orationis continet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

taliſ eſt : Quicunq; ſociis ciuitatibus aſcriptus eſt, is, verè eſt ciuis Romanus.

Archias eſt, aſcriptus ſociis ciuitatibus.

Ergo Archias verè eſt, ciuis Romanus.

In hoc ſyllogiſmo, de maijori propoſitione non eſt controuerſia. manifeſtum, enim, erat apud Romanos, & l. Carbonia cautum, vt, qui ſociis ciuitatibus eſſent aſcripti, pro ciuibus Romanis, haberentur. Minor, autem, huijus ſyllogiſmi eſt, κρινόμενον, *hoc eſt, ea propoſitio, de qua concertatio eſt. qua confirmata, concluſio fit plana. Eſt, enim, in concluſione, conſtitutio cauſæ. quam Rhetores, aliàs vocant ſtatum : interdum* ὑπόθεσιν *: item,* κεφάλαιον, *&,* ὑποκείμενον.

Quibus autem, rationibus, hoc κρινόμενον, *ſiue, minor propoſitio: probetur, notabimus in textu.*

Sed, cum oratores ſoleant, vbicunq; opus eſt, auocare controuerſiam, &, traducere ad genus vniuerſum, hoc eſt, transferre hypotheſin ad theſin : ideò & Cicero, cùm aliàs Archiæ cauſa, per ſe, eſſet tenuis : quæſtionem finitam traduxit à perſona Archiæ, ad theſin. oſtendit, enim, à genere : ſtudiorum, quibus Archias deditus fuit, præſtantiam. &, inſerit, atq;, tractat inſignem locum de dignitate literarum. vnde, etiam, genus cauſæ orationis noſtræ, quod, vt ſupra diximus eſt, Iudiciale : habet inſertos locos generis Demonſtratiui. &, magna orationis pars, conſumitur in encomio literarum, hypotheſi ad theſin tranſlata.

Porrò, non exigua res erat apud Romanos, eſſe ciuem Romanum. Gaudebant, enim, præ cæteris, ciues Romani, multis iuribus, &, priuilegiis inſignibus. Ac, primùm quidem, omnibus Romanis hoc ius erat : vt, nec virgis cædi, nec, in vincula conijci, nec, omninò capite plecti, niſi omninò id populo permittente : poſſent. Deinde, Soli ciues Romani, teſtamento hæreditatem capere poterant. nec vllus peregrinus, hæreditatem ciuis Romani, adibat. Tertiò. *Soli ciues Romani, ius habuerunt, teſtamentum, iure Quiritum, ſiue Romanorum, à Quirino, facere.* Quartò. *tantùm ciues cum ciuibus, matrimonium contrahere poterant.* Quintò. *militare in legione Romana non aliis, quàm, ciuibus Romanis licebat.* Sextò. *liberos in poteſtate habere, proprium erat ciuium Romanorum.* Septimo. *ius ſuffragij in Comi-*

tiis, co-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tiis, eorum quoq; erat. Octauò. *tandem etiam Soli ciues Romani, ad magiſtratus, &, dignitates Romanorum, peruenire poterant. Ex quibus omnibus, apparet: non de leui negotio Archiæ controuerſiam fuiſſe motam. Quinimò, maculam infamiæ fuiſſet paſſus Archias, ſi conuictus, cauſa cecidiſſet.*

Sed, hoc fuit de primo. ſequitur Secundum.

DE SECUNDO.

Methodus huijus orationis, Oratoria eſt. Conſtat, enim, 6. partibus. Exor. Nar. Prop. Confir. Confutat. &, Peroratione. quas, ordinè in textu, indicabimus.

Atq; hactenus ea, quæ generalem textus reſolutionem concernebant, fuêre. Sequitur nunc ſpecialis analyſis textus, cum obſeruatione didagmatum.

TEXTVS.

SI quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio quàm ſit exiguum: aut, ſi qua exercitatio dicendi; in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum: aut, ſi hujuſce rej ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis, &, diſciplina profecta: à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium, vel in primis hic Aulus Licinius fructum à me repetere propè ſuo iure debet. Nam, quoad longiſsimè poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, &, pueritiæ memoriam recordari vltimam: inde vſq; repetens, hunc video mihi principem, &, ad ſuſcipiendam, &, ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum extitiſſe. Quod, ſi hæc vox huius hortatu, præceptisq; conformata, nonnullis aliquando ſaluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari, &,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

alios ſeruare poſſemus ; huic , profectò ipſi , quantum eſt ſitum in nobis, & opem; & , ſalutem ferre debemus.

Ac, nequis à nobis hoc ita dici fortè miretur, quòd, alia quædam in hoc facultas ſit ingenij; neq; hæc dicendi ratio , aut, diſciplina : nec nos, quidem, huic cuncti ſtudio penitus vnquam dediti fuimus. Etenim , omnes artes , quæ , ad humanitatem pertinent , habent quoddam commune vinculum , & , quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.

Sed , ne cuij veſtrûm mirum eſſe videatur, me, in quæſtione legitima , & , in iudicio publico ; cùm res agatur apud prætorem populi Romani , lectiſſimum virum, & , apud ſeueriſſimos iudices , tanto conuentu hominum, ac frequentia : hoc vti genere dicendi: quod, non modò à conſuetudine iudiciorum , verumetiam à forenſi ſermone abhorreat : quæſo à vobis, vt, in hac cauſa mihi detis hanc veniam , accommodatam huic reo ; vobis , quemadmodum ſpero , non moleſtam : vt me , pro ſummo poëta, atq; , eruditiſſimo homine , dicentem , hoc concurſu hominum literatiſſimorum, hac veſtra humanitate : hoc deniq;, prætore , exercente iudicium : patiamini de ſtudiis humanitatis , ac literarum , paullo loqui liberius. & , in eiuſmodi perſona, quæ propter otium , ac ſtudium, minimè in iudiciis, periculisq; tractata eſt: vti propè nouo quodam , & , inuſitato genere dicendi.

Si quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Si quid eſt in me ingenii. *Prima pars orationis noſtræ exordium eſt. quod, à cauſa præſenti artificioſiſſimè deſumptum orator eidem (cauſæ) egregiè applicuit. Captat, autem, hîc primò beneuolentiam prætoris, &, iudicum, à ſua perſona: ſeu, extenuatione ſuæ facultatis dicendi. hoc eſt, eloquentiæ. Eſt, enim, eijus iactatio Oratori, valde turpis. Quare & Cicero eam, hic initiò, à ſe amolitur. Deinde, oſtendit Archiam, præcipuè ſua eloquentia, tueri debere. atq; hæc, exordij propoſitio eſt. quam, quidem, non nudè ponit. ſed eijus antecedens, diſtributione quadam exaggerat. in qua, omnes eloquentiæ ſuæ cauſas efficientes, quæ, tribus continentur membris: ordinè recenſet.* Si quid. *primum membrum, quod, oſtendit primam cauſam efficientem eloquentiæ, bonam naturam, ſiue ingenium. quod, hîc per meton. cauſæ dictæ, pro eloquentia accipiatur.* aut ſi qua exercitatio. *Alterum, Secundæ cauſæ. quæ eſt, crebra exercitatio. vſus enim, teſte Cicerone de Orator: dicendi magiſter optimus eſt, &, effector. vitij item naturalis: exquiſitam, &, benè ſonantem dicendi facultatem deformantis: corrector. Quod, in Demoſthene manifeſtum euadit. qui, cum inter initia inuentæ artis, quam affectabat, primam literam, quæ eſt R. dicere non poſſet: oris ſui vitium tanto ſtudio expugnauit, vt ea, à nullo expreſſiùs efferretur.* aut ſi huiuſce. *Tertium, Tertiæ, bona doctrina. Hac namq; teſte. Cic. lib. 1. de Oratore: quæ bona ſunt, fieri meliora poſſunt. &, quæ non optima, aliquo modo acui tamen, &, corrigi poſſunt.* fructum. *ſub hoc verbo, recondita eſt illuſtris metaphora, ab iis, qui, prædiis Vrbanis, vel, Ruſticis conductitiis vtuntur, petita. inquit enim: vt, illi neceſſariò dominis agrorum fructus annuos pendere tenentur, in recognitionem ſubmiſſionis, &, teſtificationem prædiorum, à dominis conductorum: qui domini, ius plenum habent repetendi fructus, ſi detenti fuerint. ita ego fructus, meæ eloquentiæ, hoc eſt, patrocinium, Archiæ præceptori, perſoluam. qui eloquentiæ fundum mihi primò locauit, hoc eſt, viam, &, ductum monſtrauit, quo ad eloquentiam peruenirem. à me, igitur, iſtud officij debiti, ſuo iure repetere potuit, ſi in eo tergiuerſarer.* Nam, quoad. *nunc ſubiungit rationes propoſitionis. quarum prima ducta eſt, à cauſa efficiente ſuæ eloquentiæ: illuſtrata adiuncto tempore, &, indicatione duplicis modi. et ſic totum exordium, comprehenſum eſt hoc*

Enthimemate. cuiius conſequens, ſiue, complexio priori: antecedens, poſteriori loco ponitur. Syllogiſmus poteſt eſſe talis.

Quicunq; alicui auctor, &, ſuaſor à puero exſtitit, &, ad diſcendum aliquam artem honeſtam: &, monſtrator rationis, in ea cum fructu progrediendi: hic meritò, &, in primis, magiſtro ſuo operam ea ferre debet.

Sed Archias vtrumq; mihi beneficium præſtitit in eloquentiæ ſtudio.

Archias, igitur, mea eloquentia eſt defendendus.

Atq; ita hoc argumento Cicero, idem de Archia profiteri videtur, quod Carneades Cyrenæus, de ſuo præceptore Chryſippo, dicere ſolitus eſt: Niſi Chryſippus fuiſſet, ego profectò, non eſſem. vltimam. *id eſt, primam: vt, lib. 1. Rhet. ad Heren. ſi non ab vltimo initio repetere volemus.* Danicè Saa lenge iegh Kand dragis tilminde fra min førſte barndoms tid op. ſuſcipiendam. *id eſt, mihi ſuaſit, vt, animum applicarem ad eloquentiæ ſtudium: &, viam in eo commodè procedendi, monſtrauit.* Quod ſi hæc mea vox. *Alia ratio propoſitionis, ſumpta à minoribus comparatis, hoc modo.*

Qui arte aliqua prodeſt aliis, etiam nullo amicitiæ vinculo ſibi iunctis: is multò magis præceptori auxilio eſſe debet.

Ego Cicero, profui mea eloquentia aliis hominibus, mihi planè peregrinis.

Ego, igitur, mea eloquentia multò magis præceptori, officium defenſionis, præſtare debeo.

VOX. *Synec. partis, pro, ipſa dicendi facultate. hæc, enim, ex vocibus, quæ, eiјus partes ſunt, conſtat: vt, vox ex ſyllabis.* Conformata. *In verbo latet egregia, &, venuſta metaphora, ſumpta à fructibus, qui, extruduntur, &, conformantur virtute rerum ſpecifica interna, &, calore Solis, delapſis floribus. Sic quoq; orator dicit, ſuam vocem formatam eſſe duabus hiſce cauſis, &, inſtrumentis: hortatu, &, præceptis Archiæ: depulſis illecebris iuuenilibus. Sic in Oratore, conformatam orationom dixit, cum ſic inquit: Et ipſa oratio conformanda, non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum. Quintilianus, verò, lib. 6. Sed iam decimum ætatis ingreſſus annum, certos, &, deformatos fructus oſtenderat: ex eadem metaphora ita lo-*

cutus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tutus eſt. Ac ne quis. *Amplificat aſſumptionem primæ rationis, prolepſi, qua occurrit tacitæ obiectioni. potuiſſet, enim, contra iſtam Ciceronis minorem, tale argumentum contrarium, ex loco à diuerſis: obiici. Præceptor, non poteſt diſcipulum aliter conformare, quàm ipſe eſt. hoc eſt, non poteſt eum aliam artem docere.*

Archias eſt poëta.

Igitur non potuit te oratorem efficere, aut, in arte Oratoria informare.

Etenim. *Soluit obiectionem negatione conſequentiæ. cujus rationem affert ex Epiphonemate, ſeu, ſententia communi. &, eam ita concludit. Omnes artes humaniores, maximam inter ſe cognationem habent, nec planè ſunt inter ſe diſſentaneæ. ergo nec poëtica, &, oratoria. ſed, vt inquit Cicero ſub perſona Craſsi, 3. de oratore: vno ſocietatis vinculo inter ſe connexæ. Nam, vt ibidem diſputat: finitimus eſt oratori, poëta. hinc, igitur ſequitur, quod, & poëta oratorem informare potuit. &, facilè apparet, conſequentiam incurrere in legem* κατα παντὸς. *non, enim, ſimpliciter de Archia affirmatur, quòd dumtaxat poëta fuerit, &, poëſi ſtuduerit: ſed, vt ex exemplo Ciceronis, quod ibi eſt,* ne nos quidem, *elicitur: quòd ſimul quoque ſingularem operam in eloquentiæ facultate, poſuerit.* Humanitatem. *Vocabulum humanitatis, pulcrè explicat Gellius lib. 13. cap. 15. vbi oſtendit, humanitatem, non tantùm beneuolentiam, quam, græci* φιλανθρωπιάν *vocant: ſed eruditionem inſtitutionemq́ in bonis artibus, ſignificare. quas, qui didicerunt, rectè appellantur humaniſsimi. Ouidius.*

Adde, quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Sed ne cui. *Altera occupatio, coniuncta cum proſopopœia. qua orator excuſat inuſitatum genus defenſionis: quòd in iudicio ſit dicturus de ſtudiis artium. potuiſſet, enim, Ciceroni hoc argumentum obijci. Faciens contra decorum, non eſt beneuolè audiendus. Cicero differens in foro de ſtudiis philoſophicis, facit contra decorum. ſiquidem in foro, cauſæ forenſes duntaxat, tractari debent. Ergo Cicero, non eſt attentè audiendus.* quæſtione legitima, *hoc eſt, lege Plautia, ſeu, à M. Plautio Syluano, & C. Papirio Carbone, tribunis plebis, lata A. V. 664. Hac, ſiquidem, peregrinis aditus quidam ad ciuitatem permiſſus erat.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

erat. poſſumus etiam, per quæſtionem legitimam, intelligere, iudicium publicum, Quæſo à vobis. *λύσις eſt. Reſpondet enim, ad obiectionem. &, inſtitutum ſuum cum obteſtatione defendit, addita hac regula communi, intellecta: Circunſtantiæ, imponunt qualitatem actionibus. Illæ, namq;, diuerſæ concurrentes, &, incidentes faciunt, vt, aliquando quid in loco inconuenienti congruat, &, deceat. In hac, autem, controuerſia Archiæ, ſunt diuerſæ circumſtantiæ perſonarum, vt, rei Archiæ: qui, eſt homo literatus, &, exors cognitionis conſuetudiniſq; actionum ciuilium: iudicum item, &, prætoris: aliorumq; multorum. qui, & ipſi ſunt homines humanitate imbuti. Ergo non erit inconueniens, ſed, maximè huic loco, tempori, &, perſonis accommodatum: ſi in hac quæſtione, & cauſa, ego Cicero quædam de ſtudiis humanitatis, prolixiùs dixero.*

Quod ſi mihi à vobis tribui, concediq; ſentiam: perficiam profectò, vt, hunc A. Licinium non modò non ſegregandum, cum ſit ciuis, à numero ciuium: verumetiam, ſi non eſſet, putetis aſciſcendum fuiſſe.

Concluſio eſt exordij, quæ habet attentionem. in qua ſimul eſt, propoſitio principalis totius orationis. qua demonſtraturum ſe eſſe dicit, Archiam verè eſſe ciuem Romanum, &, nullo modo è ciuitate pellendum: Sed, potius ſi non eſſet ciuis, adhuc ciuitate donandum.

Nam, vt primùm ex pueris exceſsit Archias; atque, ab his artibus, quibus ætas puerilis informari ſolet: ſe ad ſcribendi ſtudium contulit: primùm Antiochiæ (nam ibi natus eſt, loco nobili, &, celebri quondam vrbe, & copioſa, atque eruditiſsimis hominibus, liberaliſsimisq; ſtudiis, affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit. pòſt in cæteris Aſiæ partibus, cunctaq; Græcia, ſic aduentus eius celebrabatur, vt, famam ingenij, exſpectatio hominis: exſpe-

ctatio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ctationem, ipſius aduentus admiratioq́, ſuperaret.
erat Italia tunc plena Græcarum artium, ac, diſcipli-
narum: ſtudiaq́ hæc, & in Latio vehementiùs tum
colebantur, quàm nunc ijſdem in oppidis: &, hic Ro-
mæ, propter tranquillitatem reipublicæ, non negli-
gebantur. itaq́ hunc, &, Tarenteni, &, Rhegini, &,
Neapolitani, ciuitate, cæteriſq́ præmiis, donârunt:
& omnes, qui, aliquid de ingeniis poterant iudica-
re, cognitione, atq́, hoſpitio dignum exiſtimarunt.
Hac tanta celebritate famæ, cùm eſſet iam abſentibus
notus; Romam venit, Mario conſule, &, Catulo. na-
ctus eſt primùm conſules eos, quorum alter, res ad
ſcribendum maximas, alter, cum res geſtas, tum
etiam ſtudium, atq́, aures adhibere, poſſet. ſtatim Lu-
culli, cum prætextatus etiam tum Archias eſſet, eum
in domum ſuam receperunt. Sed, enim, hoc non ſolum
ingenij ac literarum: verumetiam naturæ, atq́, virtu-
tis fuit: vt, domus, quæ, huijus adoleſcentiæ prima
fuerit, eadem eſſet familiariſsima, ſenectuti. erat
temporibus illis iucundus Q. Metello, illi Numidico,
&, eijus Pio filio. audiebatur à M. Æmilio: viuebat
cum Q. Catulo & Patre, &, Filio: à L. Craſſo cole-
batur. Lucullos, verò, &, Druſum, &, Octauios,
&, Catonem, &, totam Hortenſiorum domum, de-
uinctam conſuetudine cum teneret, afficiebatur ſum-
mo honore: quòd, eum non ſolum colebant, qui, aliquid

 percipe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

percipere, aut, audire ſtudebant: verumetiam, ſi qui fortè ſimulabant.

Sequitur tertia pars orationis, narratio. quam inſtituit Cicero eam ob cauſam, vt, ſuæ cauſæ fidem facere poßit. ideò eam paulò altiùs repetit, commemorans tum tempora Archiæ, quibus, ſtudiis vacauit: tum etiam loca, vbi, id factum eſt. Deinde patriam, genus, famam, honores, &, amicitias. vt, oſtendat Archiam, ob ingenium, &, virtutem: eſſe à ciuibus aſciſcendum, etiamſi non eſſet ciuis. Debet, enim, bona narratio, ſiuè, expoſitio, quæ in oratione aliqua inſtituitur, vt, fides cauſæ fiat: duas conditiones habere. 1. vt, ſit veriſimilis. Si, enim, dubia, &, ambigua eſſet, non poſſet cauſæ fidem facere. 2. vt, ſit accommodata, hoc eſt, vt, rei illi, quam probare volumus, aptè iungatur. &, quidem ita, vt, commodè fides ex ea poſſet duci. Etiamſi, enim, narratio aliqua per ſeſe eſſet probabilis, aut, vera: ſi, tamen, ex ea id, quod probare conamur, colligi non poſſet, apta non eſſet expoſitio. ex pueris. *eodem modo Terentius locutus eſt: Nam, is poſtquam exceßit ex ephebis, Soſia. Eſt, autem, hîc notatio primi temporis ætatis, videlicet pueritiæ Archiæ, &, ſtudij: quod in ea exercuit.* ſe ad ſcribendum. *Alterum tempus ætatis, adoleſcentia eſt. quam deſcribit, primò ab adiuncto ſtudio ſcribendorum verſuum, illuſtrato effectu. nam eo, maximos ſibi honores conciliauit. Huc illud Horatij in arte poët.*

Sic honor, &, nomen diuinis vatibus, atq;
Carminibus venit.

Et, Homerus in θ. *Odißeæ:* πάσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθόνισιν ἀοιδὴ τιμῆς ἔμμορῃ εἴσι καὶ αἰδοῦς, ὄυνεκ᾽ ἄρα σφέας ὄιμας μοῦς ἐδίδαξε φίλησε δέ φύλον ἀοιδῶν. *hoc eſt, apud omnes homines terreſtres, poëtæ, honoris participes ſunt, &, reuerentiæ. quoniam, certè, illos cantus Muſa docuit, amatq; genus poëtarum. Deinde à ſubiecto, Antiochia, ciuitate Syriæ. in qua tum operam dederat. &, hanc ciuitatem commendat multis adiunctis, vt, claritate, celebritate, &, hominum copia. doctorum, item, affluentia, &, liberalibus ſtudiis. atq; hoc facto, tranſit ad peregrinationem eijus, in diuerſas regiones, ſtudiorum cauſa ſuſceptam. ex quibus regionibus, trium hic mentionem*

facit:

facit: Aſiæ, Græciæ, &, Italiæ. illarum omnes partes Archiam peragraſſe, Orator in genere indicat. in Italia, verò, partim in Latio: vbi Tarentini, Rhegini, &, Neapolitani eijus incolæ, eum, ob præſtantiam ingenij, ciuitate donauerunt: partim Romæ quoq; ſubſtitit, cum magna magnorum hominum gratia: qui, in textu commemorantur. Atq; hoc membrum illuſtrat, ab adiuncto tempore, quo Romam venit, nimirum Mario, quartùm Conſule, &, Catulo: A. v. 652. Tota, enim, peregrinatio in hæc tria membra diſtribui poteſt. vt, primum, ibi ſit, Poſt in cæteris. *ſecundum, ibi,* cunctæq; Græciæ. *tertium, ibi,* erat tum Italia. *Hoc, autem, membrum continet occaſionem, ſiue, cauſam efficientem impulſiuam aſcriptionis Archiæ, factæ à Tarentinis, &, cæteris Italiæ populis.* Erat tum Italia. *Metonomia continentis, pro, contento. vt ſit ſenſus: homines in Italia erant exculti literis græcis.* Græcarum literarum. *ex Græcia, enim, tanquam vberrimo ſapientiæ fonte omnes, diſciplinæ in Italiam promanarunt.* Marioq;. *fuit, enim, præſtantiſſimus imperator, ſiue, dux belli: multis rebus fortiter geſtis præclarus. quas ipſius res geſtas, Archias deſcripſit.* Prætextatus. *hoc eſt, cum adhuc eſſet adoleſcens. meton. ad. prætexta, enim, apud Romanos, fuit veſtis nobilium, &, ingenuorum puerorum, oblonga. vnde prætextati, dicebantur pueri, qui, prætexta adhuc, & bulla vtebantnr. &, hoc fiebat ad annum 17. ætatis. quo tempore, togam virilem ſumebant: vt, meminit Cic. in proëmio Lælij.* Sed enim. *Archias, non tantum doctrina excelluit: ſed, etiam in moribus talem ſe geſſit, vt, omnibus, quibus cum conuerſaretur, eſſet carus. in primis, verò, Lucullorum beneuolentiam, ſemel partam, perpetuò retinuit.* Naturæ. *hoc eſt, naturalis bonitatis.* atq; virtutis. *quæ maijus, &, excellentius bonum eſt, quàm, ipſa eruditio. Hac, enim, abuti poſſumus, illa verò, non. Si, enim, quis malitioſus eſt, non poteſt eſſe virtute præditus. eruditus, verò, ſimul & malitioſus eſſe poteſt.* vt, domus quæ huiius. *attingit tempus tertium ætatis Archiæ, Senectutem. quam deſcribit ab adiunctis, amicis, vtpote, Archiæ. quibus tum familiariſſimè vtebatur. quiq; eum honoribus, &, cultu, affecerunt.*

Interim ſatis longo interuallo, cum eſſet cum L.

Lucullo in Ciliciam profectus. &, cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. quæ, cum eſſet ciuitas æquiſsimo iure, &, fœdere, aſcribi ſe in eam ciuitatem voluit. idq;, cum ipſe per ſe dignus putaretur, tum autoritate, &, gratia Luculli ab Heracleinſibus impetrauit. Data eſt ciuitas Syllani lege, &, Carbonis, ſi qui fœderatis ciuitatibus aſcripti fuiſſent: ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent: &, ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſent profeſsi. Cùm hic domicilium Romæ multos iam annos haberet, profeſſus eſt apud prætorem Q. Metellum familiariſsimum ſuum:

Ex Rodolpho lib. 2. de Iuuent. vt, paulò ante quoq; monuimus: conſtat, Oratores, &, Philoſophos perſæpe in argumentatione, ſiue, probatione dubiæ quæſtionis, expoſitionem, &, narrationem rei alicuijus, interſerere ſolere, fidei faciendæ cauſa. eodem modo & Cicero, hactenus interpoſuit narrationem, ſiue, hiſtoriam vitæ Archianæ, ad probationem huijus cauſæ, ſiue, propoſitionis principalis: quod, ſcilicet, Archias ſit, ciuis Romanus: conuenienter, &, accommodatè valdè. nunc in ſequenti narrationis parte oſtendit Cicero cauſam impulſiuam, qua Heracleam venit. Deinde, cauſas efficientes procreantes, quibus Archias ciuitatem adeptus eſt, indicat. tum, ad probationem cauſæ, ſiue, ſtatus: ſeu, principalis propoſitionis, deſcendit, quæ talis eſt: Archias eſt ciuis Romanus. argumentum additur, vel, à coniugatis, vel, à deſcriptione ciuis Romani. ſyllogiſmus, talis eſt.

Quicunq; aſcriptus eſt fœderatis ciuitatibus, &, ciuibus, is eſt ciuis Romanus: propter legem Syllanam & Carbonianam.
Archias eſt, aſcriptus fœderatis, ſiue, ſociis ciuitatibus.
Ergo Archias eſt, ciuis Romanus.

In hoc ſyllogiſmo, maijor propoſitio, eſt firma, &, certa, propter autori-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

autoritatem legis Syllanæ, &, Carbonianæ. aſſumptio, verò, eſt κρινόμενον. hoc eſt, dubia propoſitio, de qua controuertitur. ideò orator hanc aſſumptionem confirmat aliis quibuſdam proſyllogiſmis à teſtibus, &, tabulis. quemadmodum manifeſtum eſt ex textu. Interim. *hoc eſt, ſatislongo tempore, poſtquam Octauios, Druſos, &, totam penè Hortenſiorum domum, ſibi familiaritate deuinxiſſet.* aſcribi ſe. *hoc eſt, fieri ciuis huijus ciuitatis voluit. Aſſumptio, autem, hic eſt ſyllogiſmi huijus principalis, illuſtrata cauſis impulſiuis, quibus adductus, ſe Heracleæ, fœderatæ cum Romanis ciuitati: aſcribi voluit. nominatim, autem, duas exprimit: æquiſsimum ius ciuitatis, &, ictum fœdus cum Romanis. Romani, enim, habuerunt cum aliis ciuitatibus, tria genera fœderum. Primum erat, æquum fœdus. quo fœdere, quaſdam ciuitates in amicitiam receperunt. quæ, omnia ſua diuina, &, humana iura, in ditionem Romanorum, dederunt. vnde eijuſmodi populi dicti fuerunt, dedititij. Alterum fœdus fuit, æquius: cùm bello pares, in pacem, atq;, amicitiam Romanorum venerunt. in quo, tamen, fœdere, populus Romanus in ſuperiori conditione fuit. Tertium genus fuit, æquiſsimum: cùm, qui hoſtes nunquam fuêre, ad amicitiam cum populo Romano, coïbant: &, pari iure vtebantur. neq; leges à Romanis accipiebant, neq; illis dicebant.* idq;. *quod ius ciuitatis.* Data eſt ciuitas. *Maijor eijuſdem ſyllogiſmi. cuijus ſenſus eſt. cum in Heraclienſem ciuitatem aſcitus eſt, eodem tempore factus eſt etiam ciuis Romanus.* Si qui fœderat: *Amplificat aſſumptionem per diſtributionem partium. ex quibus, hîc eijus prima eſt.* domicilium. *altera.* profeſſus. *Tertia. Atque hactenus demonſtratum eſt, maijorem propoſitionem, iſta l. lata, firmam, &, veram fuiſſe.*

Si nihil aliud, niſi de ciuitate, ac, lege dicimus: nihil dico amplius: cauſa dicta eſt.

Tranſit nunc ad probationem aſſumptionis, quæ, κρινόμενον eſt.

Quid enim, horum infirmari, Gracche, poteſt? Heracleæ ne eſſe eum adſcriptum negabis? adeſt vir ſumma autoritate, &, religione, &, fide, L. Lu-

 cullus:

cullus: qui, ſe non opinari, ſed ſcire: non audiuiſſe, ſed vidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. adſunt Heraclienſes legati, nobiliſsimi homines. qui, hujus iudicij cauſa, cum mandatis, &, cum publico teſtimonio venerunt: qui, hunc adſcriptum Heracliæ eſſe dicunt.

Tres, vt oſtenſum eſt, fuère partes aſſumptionis. prima, quòd, Archias ſit aſcriptus ciuitati Heracleæ. altera, quòd, ſit profeſſus apud prætorem, hoc eſt, nomen ſuum inſcribi curauerit in tabulam ciuitatis. Tertia, quòd, domicilium Romæ habeat. Has partes, Orator iam probare aggreditur. primùm, igitur, probat Archiam, aſcriptum eſſe ciuitati Heracleæ: argumento à teſtimoniis ducto. Eſt proinde hic tertia Orationis pars, ipſa Confirmatio. Quid enim horum. *vrget hanc minoris partem apoſtrophe, &, interrogatione.* adeſt vir. *primum teſtimonium, quod adducit, eſt Luculli. quem, ne tanquam ſuſpectus teſtis reijci poſsit à teſtimonij dictione: Cicero valdè commendat ab honeſtate, &, dignitate. honeſtas, enim &, dignitas perſonæ, tollit ſuſpicionem falſi teſtimonij. quemadmodum cautum eſt lege Iuſtiniani imperatoris·§·final.inſtit. tit. de ſuſpectis tutoribus. &, quòd in teſtimoniis, teſtium inſpicienda ſit dignitas, fides, mores, grauitas: diſponitur in l. 2. &, 3. ff. tit. de teſtibus: &, grauiſsimè monet Modeſtinus in l. in teſtimoniis, ff. de teſtibus. &, Calliſtratus in l. teſtium, ff. de teſtib. Sed de teſtibus, extat nobiliſsimus libellus Bartoli, ex quo omnia, quæ ad hunc locum requiruntur, facilè peti poſſunt.* qui ſe non opinari. *Hæc periodus eſt ornata tribus figuris Rhetoricis. quarum prima, dicitur* ἰσόχολον, *altera* ὁμοιοτέλευτον. *tertia, climax, ſiue, gradatio. qua certitudo, ac, fides teſtimonij Luculli inter dicendum, excreſcit. &, vrgetur amplificaturq́ ex diuerſis per diſtributionem bimembrem.* opinari. *hoc eſt, languidè, &, infirmè, ſed certis cauſis, &, principiis cognoſcere.* Sed vidiſſe. *quod validiùs eſt. nam, vt Plaut. in Truculento act. 2. ait: pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm, auriti decem. &,* ὠτίων πιστότεροι ὀφθαλμοί. *oculis magis habenda fides.* Danicè. Syn / gaar for høre ſaun. *viſus, enim, omnium ſenſuum eſt, acerrimus.* ad ſunt Heraclienſes. *alterum teſtimonium,*

qua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

quo, primam partem aſſumptionis probat, eſt legatorum Heracleinſium. Illuſtratur autem, à forma, qua inſtructi, venerunt, ibi, cum mandatis. legati nobiliſsimi. *Deſcriptio eſt legatorum, ab adiuncta honeſtate, &, dignitate. quæ duo, ideò addit: vt, eorum teſtimonium tanto ſit firmius. nobilibus, enim, &, honeſtis viris, maijor fides habetur: quàm ignobilioribus, &, inhoneſtis. nam, potentioribus pares eſſe non poſſumus.* iudicii. *hoc eſt, quæſtionis, quòd, nimirum, ſit ab Heracleinſibus aſcriptus.* Cauſa. *ſcilicet, vocati. Teſtibus, enim, non creditur, niſi vocatis, &, citatis in ſpecie ad præſens negocium, vt, de eo incorruptè teſtentur. Sed, de forma, &, aliis requiſitis, &, adiunctis iuſtæ citationis, textus eſt in l. aut aliter, in principio, ff. quod vi aut aclam.*

Hîc tu tabulas deſideras Heracleinſium publicas: quas Italico bello, incenſo tabulario interiiſſe ſcimus omnes. Eſt ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere: quærere quæ habere non poſſumus: &, de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare: &, cum habeas ampliſsimi viri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum, fidemq́;: ea, quæ deprauari nullo modo poſſunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare.

Prolepſis, qua refutat quandam obiectionem aduerſarij, quæ, ibi eſt: Hîc tu tabulas. *& talis eſſe poterat.*

Si Archias eſſet aſcriptus in fœderatam Romanis ciuitatem Heracleinſium: tum neceſſariò tabulæ publicæ extarent, in quibus id ſcriptum eſſet.

At nullæ extant tabulæ publicæ, in quibus illud notatum eſt.

Archias, igitur, non eſt inſcriptus.

Argumentum eſt à negato ſubiecto, ad negatum adiunctum. quas Italico. *Soluit obiectionem negatione conſequentis propoſitionis. quod, non eſt.* καθ᾽ ὅλȣ, *ſeu, vniuerſaliter verum. non, enim, ſequitur rem, quæ nunc non eſt, antea non exſtitiſſe. ſic, neq; Archiam propterea non*

inſcri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

inſcriptum rectè infertur: quòd, nunc non extent publicæ tabulæ, in quibus id relatum fuerit. poterant vtiq; extitiſſe. vt, & reuera de eo extiterunt. Quod, verò, tunc non ſint, excuſat argumento, à cauſa corrumpente, bello, nimirum, Italico. quo, deflagrante Heracleâ, tabularium, hoc eſt, locus, in quo tabulæ publicæ aſſeruabantur, ſiue, grammatophilacium: quale Romæ erat, teſte Plutarcho in problematis, templum Saturni: incenſum eſt. vnde, &, tabulas in eo aſſeruatas periiſſe neceſſe eſt. Atq; illud confirmat teſtimonio generali omnium præſentium, ibi. Scimus omnes. Deinde Archiam eſſe inſcriptum, alio modo probari poſſe, per teſtes nimirum, dicit. Atq; argumento à collatione minorum, qua inter ſe confert tabulas, &, teſtes: maiiorem certitudinem, atq;, fidem teſtium, ſiue, hominum honeſtorum eſſe, contendit, quàm tabularum mortuarum. quare & iſtam aduerſarij, ad tabulas prouocationem, contumelioſè eleuat, ibi, eſt ridiculum. bello Italico. quod, ſecundum Paterculum, exortum eſt A. V. 663. & Sociale, &, Marſicum dictum eſt, teſte Strabone lib. 5. Eiius belli occaſio, hæc fuit. Interfecto Marco Liuio Druſo trib. pleb. quo autore, Italici, ſe ciuitatem impetraturos ſperauerant: illi ergo, indignationis, atq;, irarum pleni, aduerſus populum Romanum conſpirârunt. &, primùm quidem decreuerunt, feriis Latinis, in monte Albano, Philippum, &, Cæſarem conſules, interficere. deinde, re patefacta: Q. Seruilio pro Conſuli, ad motus capeſcendos occurrenti, necem attulerunt. quam iniuriam, vt, vlciſceretur populus Romanus, bellum illud iniuit. quod, vt dixi, Sociale, &, Italicum appellatum eſt. nempe, quòd Italicis ſociis ſit commotum: &, Marſicum, quia illud, Marſius potiſſimùm, &, eorum imperator, Pompeiius, intulerunt. ad quod, ſeſe deinde, reliqui Italiæ populi, applicuerunt. Cum, verò, vtrinq; multæ clades eſſent acceptæ, conſul etiam Romanus, P. Rutilius Lupus in eo cecidiſſet, tandem l. Iulia, omnes Italici, in ciuitatem aſciti ſunt. quam legem Iuliam ſecuta eſt, lex Plautia Papyria, &, Syluana: quæ etiam, vt retrò diximus, peregrinis, aditum ad ius ciuitatis, patefecit. Municipii. Municipes fuerunt, ciues Romani, ſed, ſuo iure, ac, legibus vtentes: muneris tamen, honorarij, vnde etiam videntur eſſe dicti municipes: participes, hoc eſt, hunc honorem habentes, vt, ciues Romani dicerentur. Hoc, porrò, loco obſeruandum eſt, Hera-

cleam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

cleam, municipium dici, propterea, quòd lege Iulia, optimum ius municipiorum, ciuitatem ſcilicet Romanam, erat conſecuta. iuſiurandum. teſtes, enim, iurati, hoc eſt, præſtito iuramento de dicenda veritate, teſtimonium dicebant.

At domicilium Romæ non habuit is, qui, tot annis antè ciuitatem datam, ſedem omnium rerum, ac, fortunarum ſuarum Romæ collocauit.

Alterius partis aſſumptionis eſt, confirmatio. quam inſtituit per occupationem exornatam dialogiſmo, vel, mimeſi. fingit, enim, aduerſarium hic obiicientem, ſic.

At domicilium non habuit tum, cum lex ferebatur.

Igitur non eſt, ciuis.

Orator reſpondet, ſimpliciter negando antecedens. quod à definitione ciuis, illuſtrata collatione temporum, infringere tentat, ſic: Qui ante datam ciuitatem res, &, fortunas Romæ collocauit, hoc eſt, domicilium longo tempore habuit, etiam tunc, cum lex ferebatur, domum habuit. ſed, an non delumbis ſit hæc illatio, orator viderit. me, ſanè, non fugit: domum, ante legem latam, deperditam, &, amiſſam eſſe potuiſſe, vel, caſu aliquo fortuito, vel, violento: vel, etiam legitimo titulo, vt, venditionis, donationis &c.

At non eſt profeſſus imò, verò, his tabulis profeſſus. quæ ſolæ ex illa profeßione, collegioq́ prætorum, obtinent publicarum tabularum autoritatem. nam, cùm Appij tabulæ, negligentiùs aſſeruatæ dicerentur: Gabinij, quamdiu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem reſignaſſet: Metellus, homo ſanctißimus, modeſtißimusq́ omnium, tanta diligentia fuit: vt, ad L. Lentulum prætorem, &, ad iudices venerit: &, vnius hominis lituraſe commotum eſſe dixerit. His, igitur, tabulis nullam li-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

lam lituram, in nomine A. Licinij videtis. Quæ, cum ita ſint, quid eſt, quód de eiius ciuitate dubitetis, præſertim cùm alijs quoq; in ciuitatibus fuerit aſcriptus? Etenim, cùm mediocribus multis, &, aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, gratuitò ciuitatem in Græcia homines impertiebantur: Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quòd ſcenicis artificibus largiri ſolebant; id huic, ſumma ingenij prædito gloria, noluiſſe. Quid? cum cæteri, non modò poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint: hic, qui nec vtitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quòd ſemper ſe Heracli-enſem eſſe voluit, reijcietur?

Tertiæ partis aſſumptionis, quòd nimirum, Archias ſit profeſſus apud prætorem Metellum, eſt confirmatio à teſtimonio tabularum Metelli, exaggerato à pari. dicit, enim, eas ſolas eſſe eijuſdem autoritatis cum publicis tabulis. &, hoc oſtendit collatione facta cum tabulis Appij, &, Gabinij prætorum. ipſius, ſiquidem, ad Metelli collatas, taxat, &, eleuat argumento à cauſa impulſiua, negligentia Appij in aſſeruandis tabulis publicis. propter quam multi furtim in eas irrepſerint ſine nominum ſuorum profeſſione. huijus, verò, tabulas criminatur etiam ob, duas cauſas, autoritatem earum imminuentes, &, corrumpentes, leuitatem, &, calamitatem. Senſus, igitur, totijus huijus paſſus, qui eò vſq; ſe extendit, quæ cum ita: &, per prolepſin inſtituitur, hic eſt: etſi, propter negligentiam, &, leuitatem quorundam prætorum, multi furtim, &, clam irrepſerint in tabulas, ſeq; falsò pro ciuibus Romanis geſſerint: ideoq; illæ tabulæ in iudiciis nullam autoritatem habere videantur. tamen, hæc tabulæ, quibus eſt inſcriptus, diligentiſſimè ſunt ſeruatæ à Q. Metello, viro religio-

ſiſſimo,

ſiſſimo, ita, vt nulla omnino ſit ſuſpicio Archiam, furtim, &, clàm irrepſiſſe. atq́, illud oſtendit ab effectu ſpeciali, hoc eſt, ſingulari quodam ipſius facto, geſto apud iudices, ibi, Et vnius nominis litura. Quæ cum ita ſint. Concluſio eſt eorum argumentorum, quæ hactenus dicta ſunt pro confirmatione principalis propoſitionis, quæ, fuit aſſumptio ſyllogiſmi. exornatur, autem, interrogatione, habente vim negationis. quæ, in textu intellectu facilis eſt. præſertim. ἐπιμονὴ eſt. qua perſiſtit in amplificanda confirmatione propoſitionis principalis, duplici argumento, à minoribus comparatis, ducto. quorum prius, hoc eſt. Difficiliùs eſt obſcuris, humilibusq́ viris gratuitò donare ciuitatêm, faciliùs, verò, præſtantibus, &, excellentibus poëtis. Græci dederunt ciuitatem obſcuris viris, vt, ſcenicis, &, hiſtrionibus. Multò, igitur, faciliùs ciuitatem præſtantiſſimo poetæ Archiæ, donauiſſe eos credendum eſt. Aſſumptio ſyllogiſmi expreſſè in textu ponitur, ibi, etenim cum mediocribus. Quid? cum. Alterum argumentum minoris, auctum bimembri diſtributione, &, exornatum interrogatione, quæ habet vim negationis. Cùm cæteri non modò. prius membrum diſtributionis, cuijus hic ſenſus eſſe videtur. Poſt ciuitatem datam Italicis populis fœderatis, vt, Rheginis &c. multi fraude irrepſerunt in eorum tabulas, &, hac ratione pro ciuibus Romanis ſunt habiti, &, retenti. quidni, igitur, Archias, qui ante ciuitatem datam, ſocijs ciuitatibus aſcriptus, pro ciue Romano habendus, &, retinendus eſt? q. d. maximè retinendus. poſt legem papiam. Secundum membrum diſtributionis. Difficiliùs eſt contra legem clàm fieri ciuem, quàm eum, qui, legitimè factus eſt, reijcj. Sed certum eſt, quòd, quidam furtim contra legem, in tabulas irrepſerunt, hoc eſt, in catalogos, ſiue, regeſta ciuium aſcripti ſint, vel, ſe aſcribi curauerint, &, ſic ciues facti, ſalutati, &, retenti ſunt. multò igitur, magis Archias, qui legitimis modis ciuis factus eſt, in ciuium numero habendus, &, retinendus eſt. &, ex eo minimè excludendus.

Lex, autem, Papia dicta fuit, à Caio Papio trib. pleb. qui, eam tulit. Sententia eiius legis hæc fuit: vt, vrbe pellerentur peregrini, qui, non eſſent ciues Romani: quiq́, in tabulas municipiorum non eſſent aſcripti. De hac lege, Cic. 3. offic. ſic inquit: malè, qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

peregrinos vrbibus vti prohibent, eoſq; exterminant. vt, Pennius, apud patres noſtros fecit: Papius, nuper. nam vrbis vſu prohibere peregrinos, ſanè inhumanùm eſt. Sed, hic licebit mihi aliquantulum excurrere in inſtituta quarundam gentium, quas, fortè, Romani in hac lege condenda ſibi æmulandas propoſuerunt. Ex gentibus igitur, quædam, vt, Tauroſchytæ, hoſpites Dianæ mactare ſolebant. Idem etiam Buſiris, Ægypti Tyrannus, feciſſe ſcribitur. Lacedemonij, autem, videntur habuiſſe cauſam, cur minus æqui hoſpitibus eſſent: quòd, exterarum nationum contagio, publica diſciplina infici, ac, corrumpi ſoleat. Nec animis tantum ciuium, in benè morata, &, florente ciuitate: Sed linguæ etiam, &, habitudini corporum eſt metuendum. Quot, & reperias hodiè Danos, animo, cultu, etiam vultu exteris populis ſimiliores, quàm, ſuis maijoribus. Hoc non vituperandum, vt opinor, Lacedæmoniarum inſtitutum (rectè, enim, ſanctitatem ſuæ diſciplinæ, incontaminatam conſeruare ſtuduerunt: cum legatos parum verecundos monerent ὄικι τὰ μιλήσια) fortaſſis, vt dixi, aliqui ex Romanis imitari voluerunt. Conſtat, enim, vt plurimum corruptiſſimas eſſe eas ciuitates, tum, quarum ciues peregrinari, &, apud exteros, diu multumq; commorari ſolent: tum eas, quæ, à variis nationibus, &, vario genere hominum frequentantur. Cauſæ, autem, corruptelæ, potiſſimùm ſunt, indocti & ſuperciolioſi aulici, milites, mercatores, pſeudophiloſophi, hoc eſt, omnes ij, qui ſine ſtudio virtutis, vel, docti, vel, doctores vſurpantur. Hæc, enim, hominum genera, &, maximè peregrinantur, &, ocio abundant: &, genio, quantum licet, indulgent. Alij, ab hoſpitibus alieniores habent animos: partim ex inuidia, partim ob periculi metum: ne hoſpites, auctis opibus, vetuſtis etiam familijs ſuperiores euadant. Id quod non ſemel factum eſſe conſtat. Sæpe, enim, hoſpes, vt hoſtis init penetralia perfidus vrbis. Sed, vtcunq; ſit, hoſpites, &, inquilini è ciuitatibus, mercatoriis præſertim, excludi non poſſunt. Nec vlla ratio eſt, qua omnia pericula, &, incommoda caueantur, niſi Reſpub. diuinitus gubernetur, &, conſeruetur. Quo maijore pietate, ac, religione cum omnium, tum verò, Magiſtratum opus eſt.

Cenſus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Cenſus noſtros requiris ſcilicet. Eſt, enim, obſcurum proximis cenſoribus, hunc cum clariſsimo Imperatore L. Lucullo, apud exercitum fuiſſe: ſuperioribus, cum eodem quæſtore fuiſſe in Aſia: primis, Iulio, & Craſſo nullam populi partem eſſe cenſam. Sed, quoniam cenſus, non ius ciuitatis confirmat, ac, tantumodo, indicat, eum qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſsiſſe pro ciue: ijs temporibus, quæ tu criminaris, ne ipſius quidem iudicio in ciuium Romanorum iure eſſe verſatum: & teſtamentum fecit noſtris legibus, &, adijt hæreditates ciuium Romanorum, & in beneficijs ad ærarium delatus eſt à L. Lucullo, prætore, &, conſule. Quære argumenta, ſi qua potes. Nunquam, enim, hic neq; ſuo, neq; amicorum iudicio reuincetur.

Per Apoſtrophen ad aduerſarium Orator pergit deinceps aliam obiectionem refutare. Aduerſarius, enim, ſic criminabatur:

Omnes, &, ſolì ciues Romani cenſentur.
Archias, non eſt cenſus.
Igitur Archias, non eſt ciuis Romanus.

Argumentum ductum eſt ex loco adiuncti proprij ciuium Romanorum. Erat, enim, proprium adiunctum ciuium Romanorum, vt, cenſerentur. Quia, igitur, hoc adiunctum, negatur de Archia, ideò negandum eſt etiam ſubiectum, ſcilicet, quòd Archias, non ſit ciuis Romanus. Cicero reſpondet, Archiam, duplici nomine excuſando, quòd non cenſeri potuerit: cum, quòd eo tempore quando ciues Romani ſunt cenſi: Archias Romæ non fuerit, ſed, vel apud exercitum cum Lucullo Imperatore: vel, in Aſia cum eodem quæſtore: tùm, quòd cum, Romæ adeſſet, nemo ſit cenſus. Porrò, ad rationem cenſus quod attinet, ſciendum eſt, quòd, Seruius Tullius,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ſextus Romanorum rex inſtituit, vt, populus, ſiue ciues Romani, quolibet luſtro, hoc eſt, quinto ſemper anno, cenſeretur. In eo cenſu iuſſit ciues Romanos, omnia bona ſua æſtimare. atq; iureiurando aſtrictos, æſtimationem eorum ad ſe adferre. Ex quo, belli pacisq; munia, non viritim, vt antea, ſed, pro habitu pecuniarum fierent. iuſſit quoq; patresfamilias nomina, &, ætates ſuorum vxorum, liberorum, libertorum, &, ſeruorum profiteri: Et, in qua vrbis regione, aut, quo ſuburbij pago habitarent, indicare. Hoc ius, primò quidem regum tempore, poſt conſulum, &, dictatorum, poſtremò, proprio ad id magiſtratu creato, cenſorum fuit. vid. Carolum Cygonium, de antiquo iure ciuium Romanorum lib. 1. c. 4. Cenſus noſtros. hoc eſt, poſtulas nimirum, Gracche, vt Archias probet ſe eſſe cenſum, cum hoc proprium ſit ciuium Romanorum. Quod, cùm Archias probare non poſſit, ideò vis concludendum eſſe, Archiam, non eſſe ciuium Romanorum numero, habendum. eſt enim obſcurum. Reſponſio eſt ad obiectionem per conceſſionem Ironicam, & ſenſus eſt: quaſi verò hoc lateat homines, Archiam, cum cenſeri debuit, non fuiſſe domi: & cum domi fuit nullum ciuem fuiſſe cenſum. Imperatore. qui, apud Romanos dicebatur ſummus dux belli. cui exercitium gerendi bellum, à Romanis commiſſum erat. quæſtore. prouinciali. erant, enim, multa genera quæſtorum apud Romanos. prouinciales, autem, quæſtores dicebantur illi, qui, cum proconſulibus, aut, proprætoribus, in prouinciis exibant: cum pecuniam ex ærario, à ſenatu attributam, &, à tribunis ærarij adnumeratam, accipiſſent. vnde ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtoribus, cohorti prætoriæ ſuppeditarent. Sed quoniam. Secundò, reſpondet ad obiectionem, per negationem conſequentiæ. non, enim, non ciuis eſſe poterat, etſi non eſſet cenſus. Hic, ſiquidem, non fuit cauſa formalis ciuis, ſed, adiunctum duntaxat, vt dixi, & eijuſmodi quidem, quod cum ciue, tanquam proprium, neceſſariam connexionem non habet: cum etiam, qui, non eſt legitimè factus ciuis Romanus, ſi nomen ſuum clàm in cenſorias tabulas referri curaſſet, ea re ius ciuitatis illegitimè aſſumpſerit ſibi. Eam ob cauſam indicat, argumentum à cenſu negato, ad ius ciuitatis negatum, non valeat. Sed, quod incurrat in elenchum falſæ cauſæ. ĳs temporibus. Tertio loco

opponit

opponit orator huic argumento Gracchi, alia adiuncta, vel, effecta propria ciuium Romanorum tria. Ex quibus probari, tanquam externis ſignaturis notiſue poteſt, Archiam, verè eſſe ciuem Romanum. & teſtamentum. 1. *Nemo, enim, potuit facere teſtamentum, niſi ciuis Romanus. vt retro quoq; in priuilegijs, quibus ciues Romani præ cæteris gaudebant, oſtendebamus. Quia, igitur, Archias fecit teſtamentum, Ergo ex hoc adiuncto, ſeu effectu, euidentiſſimè colligitur, Archiam fuiſſe tum ciuem Romanum.* adijt hæreditates. 2. *apud Romanos, nemo, niſi ciuis Romanus, potuit in teſtamento hæres ſcribi, aut, ex teſtamento hæreditatem adire. Quia, igitur, Archias ſcriptus fuit hæres in teſtamento, &, ex teſtamento hæreditatem adijt, igitur ex hoc adiuncto colligitur proprium eijus ſubiectum, ſcilicet. quod Archias, fuerit ciuis Romanus.* & in beneficijs. 3. *hoc eſt, eo tempore, quando Archias, propter legitimam abſentiam Romæ non eſt cenſus, a prætore, &, Imperatore Lucullo in militia delatus eſt in beneficijs ad ærarium, hoc eſt, autore Lucullo, beneficium ex ærario publico accepit. Quod, nemini niſi ciui Romano, contigit. hinc, ergo, etiam colligitur, Archiam fuiſſe ciuem Romanum.* Quære argumenta, *Hactenus* κρινόμενοϲ *firmiſſimis argumentis demonſtrauit. &, probauit Archiam vere eſſe ciuem Romanum. Hîc igitur eorum argumentorum concluſio generalis eſt, exornata permiſſione, aduerſarium ſalſè mordente.*

Quæres à nobis, Gracche, cur tantoperè hoc homine delectemur? quia ſuppeditat nobis, vbi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, &, aures conuicio defeſſæ, conquieſcant. An tu exiſtimas, aut, ſuppetere nobis poſſe, quod quotidiè dicamus in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus: aut, ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina relaxemus?

Subiungit nunc deinceps argumenta pro confirmatione alterius partis propoſitionis, retrò poſitæ. Oſtendit, enim, hîc primò eum, ſi

non

non eſſet ciuis Romanus, dignum eſſe, qui, adhuc ciuitate dignaretur, argumento à cauſa efficiente procreante, ſingulari doctrina, qua imbutus eſt. quam illuſtrat ab aliquot eius effectis. dicit, enim, Archiæ doctrinam ſibi profuiſſe, &, ad delectationem, eô, quòd ſuppeditauerit recreationem animi, multis curis politicis defatigati. &, ad eloquentiam, ibi, an tu exiſtimas. *Quod effectum, vrgetur, &, amplificatur interrogatione. &, alijs quibuſdam figuris Rhetoricis. quibus Orator vtitur, cum, vt iudices hac venuſtate delectet, tùm, vt, eos non tantum doceat, ſed, etiam ad fauorem erga Archiam, commoueat.*

Ego verò fateor, me his ſtudiis eſſe deditum. cæteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderunt, vt, nihil poſſint ex his neq; ad communem afferre fructum, neq; in aſpectum lucemq; proferre. me, autem, quid pudeat, qui, tot annos ita viuo, iudices, vt ab illis nullo me vnquam tempore, aut, commodum, aut, ocium meum abſtraxerit; aut, voluptas auocârit; aut, deniq; ſomnus retardârit. quare, quis tandem me reprehendat? aut, quis mihi iure ſuccenſeat? ſi quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, &, ad ipſam requiem animi, &, corporis conceditur temporis: quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuijs: quantum deniq; aleæ: quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? Atq; hoc eo mihi concedendum eſt magis, quòd ex his ſtudiis, hæc quoq; creſſit oratio, &, facultas. Quæ, quantacunq; in me eſt, nunquam amicorum periculis defuit.

Deinde,

Deinde, accedit ad id, quod, retrò propoſui, hoc eſt, à perſona Archiæ tranſit ad theſin, ſiue, locum communem. &, in genere quædam de præſtantia, &, vtilitate artis poëticæ, diſſerit. orditur autem, hanc doctrinam, quadam occupatione, qua ad alienum conſilium reſpondet. potuiſſet, enim, Gracchus ita obiicere Ciceroni: Tune, Cicero, qui es vis conſularis, &, princeps: fateris te eſſe poëticis ſtudiis deditum. an, non pudet te eiiuſmodi puluerum ſcholaſticorum? Orator reſpondet, primò liberè confitendo ſe eiius ſtudij non pudere. atq; ita iſta confeſſione, tum comprobat alterum effectum doctrinæ Archianæ, quæ, fuit ad eloquentiam: tum ſignificat, omnes homines, ſtudia humaniora magnifacere debere. Secundò, per inuerſionem, retorquendo hanc ipſam obiectionem in accuſatoris, &, eiius conſortium capita, ſic à minori procedendo. Illi reprehenſione digni ſunt, qui, nullum fructum ex poëtica, ad communem vtilitatem adferunt. At, ego Cicero, plurimum vtilitatis ex poëtica ad remp. deportaui. ego, igitur, Cicero non ſum reprehendendus, ſed multò magis illi. Atq; ita hoc argumento reprehendit, &, perſtringit grauiter Gracchum, &, alios quoſdam nobiles Romanos: qui, cum ipſi eſſent rudes, non ſolum contemnebant ſtudia poëtica, &, aliarum artium humaniorum: ſed, alios quoq; ab iis abducebant. eſtq; hîc quaſi quædam tacita exclamatio, qua aliquo modo indignationem, &, vehementiorem animi motum, exprimit. me, autem, quid pudeat. aſſumptionis eſt confirmatio, à cauſa efficiente procreante, diligentia adhibita ſtudio poëtico: quæ, communiter, fructus non mediocres, parere ſolet. &, hoc comprobat à cauſis corrumpentibus de ſe negatis: illuſtratis collatione temporis: quòd, videlicet, nullo vnquam tempore, aut priuato commodo: aut, ocio turpi, &, illiberali abſtractus ſit à ſtudiis: nec etiam voluptatibus Syrenibus auocatus: aut deniq;, ſommo immodico, &, intempeſtiuo, retardatus ſit. In verbis, autem, cauſis adiectis, homioteleuton eſt. Quare quis. complexio ſyllogiſmi, illuſtrata, primò, ἐπανώδῳ, ſiue, regreſſione ad primum effectum poëticæ, paulò ante commemoratum: quòd, ſtudia poetica vehementiſſimè delectent animos. quod argumentum rurſus amplificat à parium collatione. alij, delectantur rebus domeſticis, alij ludis, alij pila, &, aliis voluptatibus. cur & ego non delectationem caperem à poëtica. Amplificat quoq;, &, exornat figuris Rhetoricis, interrogatione, Anaphora, &,

epiſtrophe. atq; hoc ideò. *Secundò, concluſione ſecundi effecti ſuperioris. quod, ad augendam eloquentiam fuit: illuſtrati alio effectu, ibi.* quæ quantacunq;. *dicit, enim, eam reip. &, amicis ſalutarem fuiſſe, &, futuram fore.* recolenda. *metaphora ab agris, qui, propriè recoli dicuntur, hoc eſt, iterum coli, &, ſeminari, vt perferant fructus.* Creſcit oratio. *vt, etiam de Oratore fatetur, cum inquit, omnis eloquendi elegantia, quanquam expolitur ſcientia literarum: tamen vel maximè augetur legendis Oratoribus, &, Poëtis.*

Quæ ſi cui leuior, videtur: illa quidem certè, quæ ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam, ſentio. nam, niſi multorum præceptis multisq; literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem, atq; honeſtatem: in ea, autem, perſequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atq; exilij, parui eſſe ducenda: nunquam me pro ſalute veſtra in tot, ac tantas dimicationes, atq;, in hoc profligatorum hominum quotidianos impetus obieciſſem. Sed, pleni omnes ſunt libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas: quæ, iacerent in tenebris omnia, niſi literarum. lumen accenderet. quàm multas nobis imagines, non ſolum ad intuendum, verumetiam ad imitandum, fortiſſimorum virorum expreſſas, ſcriptores, &, Græci, &, Latini reliquerunt? quas, ego ſemper in adminiſtranda repub. mihi proponens, animum, &, mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam.

Tertium effectum doctrinæ Archianæ, &, ſtudij poëtici: quia, poëtica ſtudia conducunt ad colendam virtutem. &, inter multa pericula ad ſummum bonum beatitudinemq; conſequendam, hominem perducunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ducunt. Quæ ſi cui leuior. *ſcilicet videtur hæc oratio: qua dixi orationem, &, facultatem dicendi capere incrementum ex ſtudiis poëticis. ſi, inquam, hoc argumentum leuius, &, minoris firmitudinis eſſe ſtatuat, quàm, vt fidem, &, aſſenſum mereatur: dicamea, quæ ſentiam: quæ, adhuc maijora ſunt, imò maxima, nimirum ſtudia poëtices conducere: ad virtutem colendam magnifaciendamq́, &, mores ex ea conformandos.* Nam niſi. *Tertium effectum generalius poſitum, nunc per ſpecies amplificat, &, expolit. &, quidem, primò propoſito ſuo exemplo, illuſtrat, &, confirmat, quòd ipſemet deuoratis omnibus grauiſſimis, &, variis periculis, quæ, diſtributione quadam ex adiunctis, numero, &, magnitudine exaggerat, vt, eò maijorem iudicum beneuolentiam ſibi conciliet: beneficio præceptorum philoſophicorum, &, poëticæ: tum etiam exemplis, quam ſecundam cauſam poſtmodum addit: ad virtutem hanc, fortitudinem, &, ſic ad ſummum hominis bonum, contenderit. Deprehendo, autem, Oratorem hunc totum paſſum, tali ſyllogiſmo connexo complexum eſſe.*

Niſi multorum præceptis, &, exemplis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem: nihil in vita eſſe præcipuè expetendum, niſi, virtutem & gloriam: &, ad ea conſequenda, nullum periculum, aut, cruciatum corporis, quamuis magnum, eſſe fugiendum: nunquam me pro ſalute veſtra in tot tantaq́ profligatorum, vt, Catilinæ, Gabinij, Clodij, &, eiiuſmodi aliorum nefariorum hominum periculoſas manus conieciſſem.

At, ex adoleſcentia literis, ſiue, præceptis philoſophicis perſuaſus, didici ea mihi facienda eſſe.

Me, igitur, pro ſalute reip. in diſcrimen obiicere, nullo vnquam tempore refugi.

Omnes, omnia. πολύπτωτον. Sed pleni. *aſſumptio. in qua latet quartum effectum literarum, &, artis poëticæ: quia, eorum beneficio fit, quòd res geſtæ, &, laudes magnorum virorum, ad poſteritatem tranſmittuntur. Hoc quartum argumentum, non modò figuris Rhetoricis pulcrè ornat: ſed etiam, ab aliis effectis amplificat. 1. quòd, talis memoria facit, vt, tanti viri, apud poſteros fiant celebres. &, ſic eorum beatitudo poſt mortem, augeatur. 2. quòd, memoria talium exemplorum, etiam incitat poſteritatem, ad imitationem eiiuſmodi virtu-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tum. id rurſus confirmat, &, illuſtrat ſuo exemplo. Fatetur enim, quòd ipſe præclaris exemplis virtutum, quæ, à poëtis celebrata fuerunt, inuitatus ſit ad virtutis ſtudium, &, actiones. Verùm, hîc notandum eſt, Horat. in art. poët. hæc quatuor effecta, ſiue, has vtilitates poëticæ, ad duas generales, &, præcipuas contrahere, cum inquit.

Et, prodeſſe volunt, &, delectare poëtæ.

Delectat, ſiquidem, poëta non tantum pulcerrima elocutione, qua vtitur: neq; etiam fabulis ſolumodò, &, argumentis. Sed, vt tradit Ariſtoteles in arte poët. valdè afficit mentes noſtras ipſa imitatione. nam, hominibus à natura inſitum eſt, imitari. ideò etiam delectantur imitatione. naturalibus, enim, delectamur. Deinde, poëſis etiam plurimum prodeſt. eſt, enim, poëtica, obſcurior quædam philoſophia veterum. quæ, fabulis pulcerrimis, &, ſuauiſſimis, res grauiſſimas, &, vtiliſſimas hominibus proponit. ideò Strabo lib. 1. contra Eratoſtenem, qui, poëtas delectare quidem, at, non prodeſſe, affirmabat: poëtas, eſſe ait, magiſtros vitæ, &, correctores. appellatosq; olim à veteribus σωφρονίσας. imagines. hoc eſt, exempla virtutum, oratione veluti depicta. eſt, enim, poëſis velut loquens pictura. vnde rectè Horatius in art.

Nec magis expreſſi vultus per ænea ſigna,
Quàm per vatis opus, mores animiq; virorum
Clarorum apparent.

Quas ego. *Complexio ſyllogiſmi intellecta.*

Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes literis proditæ ſunt, iſtáne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficilè eſt hoc de omnibus confirmare. ſed tamen eſt certum quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac, virtute fuiſſe, &, ſine doctrina naturæ ipſius habitu propè diuino, per ſeipſos, &, moderatos, &, graues extitiſſe fateor. etiam illud adiungo: ſepiùs ad laudem, atq; virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natu-

ra valuiſ-

ra valuiſſe doctrinam. atqui idem contendo: cùm ad naturam, eximiam, atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatioq́; doctrinæ: tum illud neſcio quid præclarum, ac, ſingulare ſolere exiſtere. ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furium, modeſtiſsimos homines, &, continentiſsimos: ex hoc fortiſsimum virum, &, illis temporibus doctiſsimum Catonem illum ſenem. qui, profectò, ſi nihil ad percipiendam, colendamq́; virtutem literis adiuuarentur, nunquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Quód, ſi non hîc tantus fructus oſtenderetur, &, ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur: tamen, vt opinor, hanc animi remiſsionem humaniſsimam, ac, liberaliſsimam iudicaretis. nam cæteræ res neq; temporum ſunt, neq; ætatum omnium, neq; locorum. hæc ſtudia adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant: ſecundas res ornant: aduerſis ſolatium, ac, perfugium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiſcum: peregrinantur, ruſticantur.

Prolepſis, qua reſpondet ad obiectionem, quæ, contra tertium argumentum ſupra poſitum, in quo dictum eſt: ſtudia poëtices conducere ad præclaras actiones: moueri, &, obiici potuiſſet hoc modo.

Multi viri præſtantes, ab ipſa natura, ad virtutis actiones fuerunt impulſi.

Igitur, tu Cicero, malè tribuis poëticæ. &, fruſtra literarum vtilitatem adeò extollis.

Ego multos. *Reſponſio eſt, ſiue, ſubiectio ad occupationem. quæ,*

 fit per

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ſit per conceſſionem, &, correctionem. Primò, enim, concedit, quòd, multi fuerint excellentes viri, ſine arte poetica, ſiue doctrina. rationem addit, quia, impetus virtutis, magis à natura, quàm doctrina, proficiſcitur. Deinde, correctionem addit: quòd, ſi ad naturam accedat doctrina, maiior fiat virtutis perfectio. Vult, igitur, Cicero hac ſua reſponſione illud indicare: quòd perfectæ virtutis, tres ſint cauſæ efficientes ſociæ, &, concurrentes. Prima, &, præcipua eſt, bona natura. 2. doctrina, ſiue, inſtitutio, ſiue, præcepta virtutum. ex quibus Orator *retrò, duo commemorauit, ibi,* nihil eſſe in vita *&c. 3. aſſuefactio, &, exercitatio virtutum. veriſſimum, enim, eſſe ſtatuo, quod, inter Ariſtotelis apopthegmata, legitur:* ἡ μὲν ὅρασις, ἀπὸ τοῦ περιέχοντος λαμβάνει τὸ φῶς: ἡ δὲ ψυχὴ, ἀπὸ τῶν μαθημάτων. *hoc eſt, Viſus à circunſtante aëre, lumen: Anima, verò, à diſciplinis, accipit. Etſi enim, aliqui naturæ quodam habitu, &, beneficio prope diuino, atq; ſingulari, perſeipſos, non adiuti opera aliena, &, præclari atq; excellentes, extiterunt: cùm in confeſſo ſit, orationis præſtantiam, aliarumq; rerum omnium, in naturali quadam* δυνάμει, *ſeu, facultate conſiſtere: tamen ſine vlla dubitatione, inſtitutio doctrinæ, vim illam, quam ex natura habent, excolit, atq; ampliorem efficit. vt, rectior, felicior, &, acutior proueniat. vnde & græci dixerunt:* διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ γράμματα μαθόντες. *&, eleganter à Durero pictore Norico, &, homine docto, dictum eſt: &, à D. Philippo Melanthone verſibus expreſſum, ſic.*

Vt nulla è ſpeculis rudibus reſplendet imago,
Ni ſint artificis ritè polita manu.
Ingenij ſic vſus erit, non vllus acuti,
Doctrinæ ſi non erudiatur ope.

Hoc etiam Plutarchus, de puerorum inſtitutione ſcribens, aſſerit. quando communia, &, neceſſaria eſſe quibúſue artibus, &, ſcientiis hæc tria dicit, φύσιν, λόγον, ἔθος. *neq; ex his, vna ſublata, reliquas eſſe integras putat. itaq; Horat. in art. contra eos diſputat, qui, in natura ſolum putant eſſe omnia: ac, eam ſine ſtudio valere ſtatuunt. veterum Pindarus, quòd* ἑαυτὸν λέγει αὐτοδίδακτον, *naturam præferre doctrinæ, videtur. cuiius verba in Ephar: Opuntium ode 9. hæc ſunt:* τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν: πολλοὶ δὲ διδακταῖς ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος

κλέος ὤρουσαν ἕλεσε : ἀνέυ δὲ θεοῦ σεσιγαμένον γ' οὐ σκαιότερον χρῆαι, ἕκασον. *quorum ſententia eſt : non vt natura per ſe, poßit opera conficere. verum, ſi magnus ſit eijus habitus, arte aſſumpta, præclarum fieri, &, excellens quiddam. artem, verò, & inſtitutionem per ſe nihil memorabile poſſe efficere, quod in lucem ſit proferendum. Quare, vt, Horatius opinionem eorum oppugnat, qui, naturam ſufficere ad excellentiam in rebus omnibus aſſerunt: ita Pindarus, contra eos diſputat, qui, omnia ponunt in arte. quam negat, niſi coniuncta ſit cum optima natura, quicquam efficere, quod, tacendum non ſit potiùs, quàm, prædicandum. nam, etſi gloriatur ipſe, naturæ præſtantia ſe multum valuiſſe, &, ſine doctoris præceptione, atq;, ductu quantus eſſet, extitiſſe : non tamen negat, ſuo ſtudio, inueſtigatione atq; induſtria, ſe perfeciſſe, vt artis ignarus non eſſet. dixit enim ſe* αὐτοδίδακτον, *non autem* ἀπεδευτόν. *Qui, verò, ingenio ſunt rudi, &, precibus hallucinante natura, atq; abſurda : nulla vnquam arte, nullaq; inſtitutione probabiles eſſe poterunt. natura, enim, bona ſine artis adiumento, præditis diuina, &, peculiari vi quadam viris, poſſe aliquid, ex reipſa conſtat : ſtudium, verò, & ars, niſi ſocia natura, iuxta Quint. nihil omninò valet. neq; eam efficaciam habet, vt, in Bruto Cicero ſcribit: vt, totum aliquid, cuiius in ingeniis noſtris pars nulla eſt, pariat, atq; procreet. Sed, vt ea, quorum principium, atq;, fomitem inſitum quendam in nobis habemus : &, quæ ſunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atq; confirmet. quod & Horatius docet, ſic inquiens.*

Doctrina ſed vim promouet inſitam.

Hæc, vt, veriſſima ſunt : ita, ſi inſtitutio liberalis, ad naturæ fælicitatem accedat, id, quod ſine arte, aliquid ſaltem erat : iam ea coniuncta, eximium aliquid, atq; admirabilè fieri, extra controuerſiam eſt. vt, enim, agri non omnes, frugem adferunt, quibus cultura impenditur: ſic animi non omnes culti, fructum exhibent. Sed, rurſus, vt in eodem ſimili maneamus : vt, ager quantumuis fertilis, ſine cultu, frugi eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina, quantumuis acutus animus. itaq; eſt vtraq; res, ſine altera, debilis. Cùm, enim, mentes humanæ, magna laborent caligine. &, naturæ inſit debilitas, &, infirmitas ingens : nec rarò etiam maxima ingenij vi præditis, neglectis, &, ſpretis artium adminiculis : errore quodam pro veris, inconuenientia apprehendant, &,

conſecten-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

conſectentur: artium præceptiones, in qualibet diſciplina, præſcriptæ ſunt, vt, & filum Ariadnæum ſint, &, repagula quædam: in quorum ambitu contineri, &, verti ingeniorum vim, atque, vehementiam oportet.

Oſtenſo, igitur, ſic breuiter: Oratoris noſtri ſententiam de vtraq; parte, veriſſimam eſſe, viſum fuit & hoc neceſſariò adiungendum, de quo ſtudioſam iuuentutem ad finem huijus paſſus, in primis admonitam velim: quòd, inſita illa naturæ bonitas, ac, facultas naturalis, plærumq; corrumpi ſoleat, deſtituta tempeſtiua rectaq; inſtitutione, ac doctrinæ conformatione. Sic, enim, Tullius noſter, de hoc ipſo inculcans, ait lib. 1. Tuſc. Sunt ingeniis noſtris ſemina innata virtutum: quæ, ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc, autem, ſimul ac editi in lucem &, ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate verſamur, vt, penè cum lacte nutricis, errorem ſuciſſe videamur: cum, verò, parentibus redditi, deinde magiſtris (indoctis & imprudentibus) traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus vt, vanitati veritas: &, opinioni confirmatæ ipſa natura, cedat. hoc, cum ita reuera ſe habeat, magnopere intereſt, tùm, vt quiſq; ſuæ naturæ impetum maturè examinet: eumq; ante omnia ſequatur, ad quem natura ſe propenſum eſſe intelligat: tùm, vt eundem liberali doctrina, &, recta informatione, quæ, eiius exædificatio, &, perfectio eſt, excolat.

ex hoc eſſe. Confirmat ſuam reſponſionem exemplis præſtantiſſimorum virorum. qui, ad naturam bonam, ſtudium literarum, hoc eſt, artem, &, exercitationem virtutis adiecerunt. &, hac ratione perfectam virtutem acquiſiuerunt. vt, enim, ſupra ibi. Nam niſi. propoſito ſuo exemplo confitebatur poëticam, &, ſtudia humaniora, ſibi profuiſſe ad fortitudinem: ita etiam in aliis oſtendit, quòd eadem profuerint ad modeſtiam, continentiam, & etiam ad fortitudinem. Quod ſi. Concluſio reſponſionis, continens repetitionem primi argumenti, quod, erat ab effectis, videlicet quòd, hæc ſtudia, vel delectationis gratiâ, quam pariunt, non ſint aſpernanda. Syllogiſ. connexus talis eſt.

Quod ſi hæc ſtudia delectationem tantùm parerent, tùm eiius ſolius etiam nomine, non eſſent aſpernanda.

At pariunt delectationem. igitur &c.

Propoſitio deeſt. aſſumptio, ibi eſt, & ſi ex his ſtudiis. Complexio

intel-

intellecta, ibi, tamen, vt opinor. nam cæteræ res. *Confirmat, &, amplificat aſſumptionem argumento, ex loco comparatorum minorum, ducto, illuſtrato diſtributione ſubiectorum. quæ, tribus membris complexa, ſigillatim in textu notabimus. Sententia igitur eſt. 1. aliæ res ſuaues delectant non omni loco, &, tempore. poëſis, autem, ſuauiter afficit omni loco, &, tempore. 2. aliæ res non delectant omnem ætatem, hoc eſt, omnes ætatis partes, at, ſtudia poëtica, ſuauiſsimè afficiunt omnium ætatum homines.* Hæc ſtudia. *Apodoſis, cuijus eſt inuerſus ordo in duobus prioribus membris.* adoleſcentiam alunt. *prima pars apodoſis, reſpondens ſecundo membro. In verbo autem*, alunt. *metaphora eſt, pro, imbuunt animum cognitione rerum bonarum. qua animus quaſi alitur. Huc cohortatio Perſii ad ſtudioſos adoleſcentes:*

Petite hinc (hoc eſt, ex literis) iuueneſq; ſeneſq;
Finem animo certum, miſeriſq; viatica canis.

adoleſcentiam. *hoc eſt, homines adoleſcentes. meton. ad. pro, ſub.* Secundas res. *Altera, reſpondens primo.* delectant domi. *Tertia reſpondens tertio. In tota, autem, hac apodoſi, notandæ ſunt figuræ,* ἀσύνδετον, & ἐπιζεύσις.

Quod ſi ipſi hæc neq; attingere, neq; ſenſu noſtro, guſtare poſſemus: tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

Hactenus oſtendit Orator, quamobrem ipſe Archiam magnifaciat. nunc ea, quæ, de ſuauitate, præſtantia, &, vtilitate humaniorum artium dixit, à ſua perſona, ad iudices transfert. eosq; hortatur, vt, & ipſi, artem poëticam admirentur, atq;, ita Archiam colant. cuiius rei ſubiungit alias nouas rationes.

Quis noſtrûm tam animo agreſti, ac, duro fuit: vt, Roſcij morte nuper non commoueretur? qui, cùm eſſet ſenex mortuus, tamen, propter excellentem artem, ac venuſtatem, videbatur omninò mori non debuiſſe. Ergo ille, corporis motu tantum amorem ſibi conciliârat à nobis omnibus: nos animorum incredibi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

les motus, celeritatemq́; ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (vtar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum literam ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de his ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eandem rem dicere, commutatis verbis, atq; ſententiis? quæ verò accuratè, cogitateq́; ſcripſiſſet: ea ſic vidi probari, vt, ad veterum ſcriptorum laudem peruenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

Præter argumenta, paulò ante ab effectis artium, adducta: nunc alias plures rationes adfert. quibus, non tantum artes humaniores, ſed, etiam Archiam magnifaciendum eſſe, iudicibus perſuadere conatur. Quintum eſt, igitur, hîc argumentum, à minoribus comparatis, ſumptum. Si Roſcium, qui fuit hiſtrio, propter peritiam ſcenicam, ſiue agendi comœdias, &, tragœdias, nos Romani magnifacimus: profectò viri docti, &, ſic Archias poëta longè maiori beneuolentia, complectendus erit. valet conſequentia, quia poëta, longè præſtantior, &, excellentior eſt, hiſtrione, &, mimo. antecedens probat primò: quia in poëtis videre eſt, &, incredibilis animorum motus, &, celeritas ingeniorum. in hiſtrione, verò, cernuntur tantum corporis quidam venuſti, &, rebus agendis accommodati motus, quibus in amorem populi influit. &, hoc probat ab adiuncto ſigno, dolore, à populo Romano concepto, ob mortem Roſcij. Corporis motu tantùm amorem ſibi conciliâret. Apud veteres magnum fuit diſcrimen inter poëtas, &, hiſtriones. Imitatio, enim, poëtica, quæ, à poëtis ſcripta fuit, non etiam ab ipſis fuit repræſentata. fuerunt, enim, triplices homines, qui, fabulas à poëtis compoſitas, in ſcena agebant: Hiſtriones, Cantatores, &, Saltatores. Cùmq; poëtica imitatio alia fiat metro, alia harmonia, alia rythmo quem-

mo, quemadmodum docet Ariſtoteles in art. poët. Hiſtriones repræſentabant poëſin, ſermone: Cantores, &, harmonici, harmonia: Saltatores, ſaltatione & rythmo. & vſq; adeò exercitati, &, felices fuerunt mimi, vt res, quæ, ſupra captum humanum erant, veluti fulmina, tonitrua, &, alia eiiuſmodi, inducerent, &, repræſentarent. Sic quidam Neronis ſaltator, ſola ſaltatione abſq; verbis, &, cantu: concubitum Martis, &, Veneris, expreſsit. quem Horatius deſcribit. &, ita Solem, patefacientem dolos, Martem coëuntem, Venerem cum eo, opera Vulcani irretitam, deos aſpectantes, &, ridentes: ſaltatione, &, geſtibus expreſsit ille ſaltator. vt, Demetrius admirans exclamauerit: Audio, ô homo, quæ facis, nec ſolùm aſpicio. &, mihi videris manibus, &, pedibus loqui. Et ſi, autem, olim apud Græcos, hiſtrionum, &, mimorum magna fuit petulantia, &, fæditas in his turpibus rebus repræſentandis: &, propterea infames ſint iudicati: tamen apud Romanos, Æſopus, &, Roſcius, propter modeſtiam, &, grauitatem morum, magno in honore fuerunt. quemadmodum de Roſcio hîc teſtatur Cicero. negligemus. quaſi diceret, nihil minus, quàm hoc faciemus. Dignum, enim, laude virum Muſa vetat mori, hoc eſt, memoria docti viri erit ſempiterna. Quoties ego hunc. Secundò, Archiæ poëtæ excellens ingenium, ab effectis tribus demonſtrat, &, amplificat. eaq́; effecta comprobat, ſuo ipſius teſtimonio. quòd, ſæpè multos verſus ex tempore eum fundere audierit. illud præterea argumentum illuſtrat figura Rhetorica, Apoſtrophe. item commoratione, ſiue, expolitione quadam, vt, magis excellentiam ingenij Archiæ, animis iudicum inculcet. quoties ego. I. effectum. nouo genere. non, enim, vſitatum erat in iudicio Romano, de ſtudiis philoſophiæ, &, poëticæ diſſerere. quoties reuocatum. 2. effectum. quæ verò. 3. effectum. hunc ego non diligam. Concluſio eſt quinti argumenti, exornata interrogatione habente vim affirmationis.

Atqui ſic à ſummis hominibus, eruditiſsimisq́; accepimus, cæterarum rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: poëtam, natura ipſa valere, &, mentis viribus excitari, &, quaſi diuino quo-

 dam ſpi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

dam ſpiritu afflari. quare ſuo iure noſter ille Ennius, Sanctos appellat poëtas. quòd, quaſi deorum aliquo dono, atq;, munere commendati nobis eſſe videantur. Sit igitur, iudices, ſanctum apud vos, humaniſsimos homines, hoc poëtæ nomen. quod, nulla vnquam barbaria violauit. Saxa, &, ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atq; conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non poëtarum voce moueamur?

Subiectione quadam, non tantùm ad præcedentem interrogationem, reſpondet: ſed, etiam aliud argumentum, quo Archiam poëtam laudat, &, iudicibus commendat: ab adiuncta excellentia, &, præſtantia artis poëticæ, adducit. Confert, enim, poëtas cum aliis artificibus. &, eos his longiſsimè anteponit argumento, à vi, &, dignitate cauſæ efficientis artis poëticæ, ducto: naturali nimirum impetu, &, ſpiritu quodam diuino, quo ſunt afflati. quod argumentum rurſus amplificat, &, firmius reddit teſtimoniis, cùm Ariſtotelis, ſummi philoſophi, tùm Ennij præſtantis poëtæ. poëtam natura valere &c. *Qui poëma eruditum vult ſcribere, is, aliorum mores, ſermones, affectionesq; vt referat, neceſſe eſt. &, ſuis exutus, alienos induat ſenſus. quemadmodum copioſè docet Ariſtoteles in poët. Deniq;, oportet etiam poëtam, in ſcribendo eſſe vigilantem, multaq; perquirere, &, indagare, quæ, ad imitationem exprimendam ſpectant. id nunquam ſatis commodè efficere poterit poëta, niſi ſui planè immemor, aliorum, vt dixi, ſuſcipiat mores, &, omnes affectiones habitumq; induat. hoc ipſum eſt, quaſi furere. hoc eſt, extra ſeipſum eſſe, &, in alienis viuere ſenſibus, &, immorari perturbationibus. nec poteſt hoc quis efficere, niſi vel, à natura, vel, afflatu ſpiritus cuiuſdam, ſummam mentis perſpicaciam, &, vim excogitandi indagandiq;, &, aptitudinem habuerit. Hinc Plato in lib. de furore poëtico: poëtas, non vlla arte inſtrui, ſed, afflatu Appollinis, &, Muſarum impelli ſcripſit. & Ouid.*

Eſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.
Sedibus æthereis, ſpiritus ille venit.

Item.

At, ſacri vates, &, diûum cura vocamur.
Sunt etiam, qui nos Numen habere putant.

Sic quoq; Homerus in Odyſ. Iouem carmina dictare, ſcripſit. &, Ariſtoteles in poët. inquit: Quapropter, vel, ingenioſi viri, vel, furore perciti: poëtica eſt. atq; hinc eſt, quod idem Ariſtot. de Maratho Syracuſano, teſtatum relinquit in problematis: eum, in ſcribendis verſibus, mente ita ab alienari ſolitum, vt, non ſuo, ſed, Dei alicuiius ore videretur loqui. Sanè, vt idem in poët. vult: alius poëta in Comœdiis ſcribendis, non infeliciter operam ſuam ponit: alius, ad Tragœdiam ſcribendam planè videtur natus: alius, commodiùs Epicum tractat poëma. Sanctos. Sanctum, illud dicitur, quod, ab iniuria hominum, publica aliqua ſanctione vel, Dei: vel, magiſtratus munitum eſt, &, defenſum. vt eſt, in l. 8. ff. tit. de rer. diuiſione. Sit igitur. Concludit ſextum argumentum per apoſtrophem ad iudices. qua eos hortatur, vt, ob præſtantiam artis poëticæ nunc commemoratam: ipſum Archiam defendant. Ad hoc autem, vtitur aliquot argumentis: vno, à maiori, aliis duobus, à minorum collatione. Eorum primum, hoc eſt. Nulli vnquam barbari, ſiue, rudes: poëtam dehoneſtandum, aut, violandum eſſe cenſuerunt. multò, igitur, minus vos iudices, qui, homines eſtis humaniſsimi, hoc eſt, humanioribus literis imbuti: eum, veſtris ſententiis violetis. Saxa, &, ſolitudines. Secundum, &, tertium hîc in textu expreſſè ponuntur. Saxa. ſ. aſpera, vel, concaua, & multæ aliæ concauitates, vt, fornaces &c. ſolitudines. non tamen omnes promiſcuè: ſed, duntaxat, in quibus ſyluæ ſunt. reſpondent. quod minus eſt. alludere, autem, videtur ad Orphea, poëtam Thracium. quem fingunt poëtæ, vt Ouid. Horat. & alij: leones, tygres, ſyluas, &, arbores ſuæ teſtudinis ſono, demulſiſſe. Significare, autem, voluerunt veteres ſapientes: Orphea, fuiſſe ſapientem, &, eloquentem poëtam. qui, ſuo poëmate barbaros, &, homines feros permouerit, &, manſuetiores reddiderit. ita, effectum poëticæ, &, eloquentiæ, hoc figmento indicârunt. Et, quòd Cic. metaphoricè per ſaxa, ſolitudines, &, beſtias, homines barbaros: quorum vita fuit ſolitaria, ingenium

durum, &, literis incultum, mores feri, &, beluini : intelligi velit, id ſatis indicat præcedentibus verbis, ſcilicet, quod nulla vnquam barbaria violauit. nos inſtituti. *q. d. multo magis nos poëtarum voce, moueamur, eoſq; colamus.*

Homerum, Colophonij, ciuem eſſe dicunt ſuum: Chij, ſuum vendicant: Salaminij, repetunt: Smyrnæi verò, ſuum eſſe confirmant. Itaq; etiam delubrum eijus in oppido dedicauerunt. permulti alij, prætereà, pugnant inter ſe atq; contendunt. Ergo illi, alienum, quia poëta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc viuum, qui, &, voluntate & legibus noſter eſt, repudiamus?

Aliud argumentum eſt, ab exemplis. ſub quibus vis etiam eſt argumenti minoris. Multæ ciuitates Homerum alienum, etiam poſt mortem, honore affecerunt. quanto magis nos Archiam, & viuum & noſtrum: in vrbe retinere debemus. Antecedens, diſtributione, ſiue, enumeratione quadam declaratur. delubrum. *hoc eſt, templum, in quo ſcriptum erat hoc Homeri Epitaphium.*

Continet hic tumulus vatem cognomine Homerum,
Qui, cecinit laudes Heroum, &, fortia geſta.

Permulti alij. *vt Athenienſes, Rhodij, Argiui. Sed de patria eijus maximè diſſenſum eſſe, autor eſt Gel. lib. 3. cap.* 11. qui, & vo-tate. *particulam,* noſter, *in Apodoſi poſitam, exponit ab adiuncto modo illuſtrato duabus cauſis efficientibus. oſtendit, enim, quomodo fuerit ciuis Romanus, nimirum, ſuamet ipſius voluntate: qua ciuitatem deſiderauit: &, legibus Syllani, &, Carbonis. vt, retrò comprobatum eſt.*

Præſertim cùm omne olim ſtudium, atq;, omne ingenium contulerit Archias ad populi Rom. gloriam, laudemq; celebrandum. nam, & Cimbricas res adoleſcens attigit, &, ipſi illi C. Mario, qui,

durior

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

durior ad hæc ſtudia videbatur, iucundus fuit. neque, enim, quiſquam eſt tam auerſus à Muſis, qui, non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facilè præconium patiatur. Themiſtoclem illum, ſummum Athenis virum, dixiſſe aiunt, cùm ex eo quæreretur, quod acroma, aut, cujus vocem libentiſſimè audiret: ejus, à quo ſua virtus optimè prædicaretur. Itaq; ille Marius item, eximiè L. Plotium dilexit: cujus ingenio putabat, ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Mithridaticum, verò, bellum magnum, atq;, difficilè: &, in multa varietate, terra, mariq;, verſatum, totum ab hoc expreſſum eſt. qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum, &, clariſſimum, verumetiam populi Romani nomen illuſtrant. Populus, enim, Rom. aperuit, Lucullo imperante, Pontum, &, regiis quondam opibus, &, ipſa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Rom. laus eſt, vrbem amiciſſimam Cyzicenorum, ejuſdem conſilio, ex omni impetu regio, ac, totius belli ore, ac, faucibus ereptam eſſe, atq;, conſeruatam. noſtra ſemper feretur, &, prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, &, incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra

ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ſunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab his populi Rom. fama celebratur.

Subiungit deinceps aliam rationem, ab effectis, hoc eſt, geſtis, &, meritis Archiæ: Archias eſt, benè meritus de ciuitate Romana, hoc eſt, celebrauit laudes populi Romani. Igitur dignus eſt, qui, in ciuitate retineatur. Antecedens probat Orator diſtributione. Primò, enim, dicit, quòd ſcripſit Archias virtutes Romanorum. qui, ducè Mario, contra Cimbros feliciter pugnauerunt. Hos, enim, eo ſextum conſule cum Catulo, in Gallia apud aquas Sextias, expugnauerunt. Hoc, rurſus amplificat ab alio effectu, quòd, hac ratione Marium, alioquin non ſatis æquum literis, ſibi valdè conciliauerit, &, ſtudiis æquiorem reddiderit. id iterum probat argumentis cum à genere: quòd, quilibet cupiat à Muſis celebrari: tum à pari: quòd, Themiſtocles delectatus ſit præconio ſuarum laudum. Tertiò, itidem à pari: quòd, idem Marius à Plotio celebrari voluerit. qui durior. vt, ex ſuametipſius, de ſeipſo confeſſione manifeſtùm euadit: quæ, eſt apud Salluſtium in bello Iugurthino. non ſunt, inquit Marius, compoſita mea verba, parui id facio: ipſa ſe virtus ſatis oſtendit. illis artificio opus eſt, vt, turpia facta oratione tegant. neq; literas græcas didici. parùm placebat eas diſcere, quæ, ad virtutem doctoribus nihil profuerant. Mithridaticum. Secundum meritum, ſiue, effectum Archiæ eſt, quòd, deſcripſit, &, celebrauit bellum Mithridaticum illud magnum, quod durauit 40. annos. hoc rurſus amplificat ab alio effectu generali inde ſecuto: quòd, ea celebratione, etiam tota reſp. Rom. ſimul ſit illuſtrata. id rurſus probat à cauſa impulſiua: quòd, ciuitas Romana fuerit, præcipua cauſa illius victoriæ in bello Mithridatico. Porrò, de hoc bello vid. apud Flor. lib. 3. cap. 1. & 5. Terra mariq;. Illuſtrat tertium adiunctum, quod fuit varietatis, à ſubiectis. quòd, bellum Mithridaticum, varium fuerit. hoc eſt, variis locis, cùm terra, tùm etiam mari, geſtum. Armeniorum. Tigranis, generi Mithridatis, &, regis Armeniorum. deuicto, enim, à Lucullo Mithridate: fuga ſe abripuit ad Tigranum ſocerum, inſequente eum Lucullo. Tigranes, verò, coactæ maximæ hominum multitudini confidens, &, illius paruum exercitum deſpiciens:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tiens: dixit eos, ſi legati venirent, ſatis multos quidem: ſi, verò, pugnaturi, paucos admodum eſſe. Conſerta, igitur, cum hoſte manu, cecidit Tigranes. vide Plut. in vita Luculli. belli ore, ac faucibus. *hoc eſt, ex præſentiſſimo periculo, &, vitæ diſcrimine, cui erant expoſiti. metaph. à feris.* noſtra ſemper. *Commoratur in amplificanda victotia Luculli, inculcando effectum eijus, proximè commemoratum: quòd, propter hanc victoriam, immortalem gloriam ſit conſecutus populus Romanus. &, hanc amplificationem rurſus ornamentis Rhetoricis, veluti anaphora, ibi,* quarum quorum. *& Epiphonemate, illuſtrat. Omnia, autem, hæc fiunt à Cicerone ideò, vt iudices, &, auditores diutius detineantur in hac re. vtq; meritorum Archiæ cogitatione, moueantur ad fauorem quendam erga Archiam.* trophæa. *trophæum dicitur, monumentum à victore erectum eo loco, vbi hoſtes, vel, in fugam coniecit, vel, deuicit.* Danicè. Seieruindings tegen / Kaars / eller ſtøtter / ſom ere opreiſte paa den ſted / ſom nogen ſlactning er ſtaen / i Krig / oc Seier er falden: enten aff træ / ſteen eller / anden materie. Quare quorum. *Concluſio eſt præcedentis ſubiectionis, &, eorum argumentorum, quæ, ad eam pertinebant.* ingeniis. *pro, ſcriptis, quæ, fiunt ex ingenio. meton. ſub.*

Carus fuit Aphricano ſuperiori noſter Ennius. Itaque etiam in ſepulchro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus. &, marmoratis laudibus certè non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi Romani nomen ornatur. In cœlum huiius proauus Cato tollitur. magnus honos populi Romani rebus adiungitur. omnes, deniq;, illi Maximi, Marcelli, Fuluij, non ſine communi omnium noſtrûm laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rudium hominem maiores noſtri in ciuitate receperunt: nos hunc Heraclienſem, multis ciuitatibus expetitum, in hac, autem, legibus conſtitutum, de noſtra ci-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

uitate eiiciemus? Nam, ſi quis minorem gloriæ, fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat. proptereà, quòd, Græca leguntur in omnibus ferè gentibus. Latina, ſuis finibus, exiguis ſanè, continentur. Quare ſi res hæ, quas geſſimus, orbis terræ regionibus definiuntur: cupere debemus, quò minus manuum noſtrarum tela peruenerint, eòdem gloriam, famamq; penetrare.

Perſiſtit in inſtituto ſuo. &, per ſimilium, &, parium aliquot exemplorum, cum poëtarum, quibus non tam ius ciuitatis conceſſum, quàm alius quiſpiam magnus honos habitus eſt: tum eorum, qui, poëtas coluerunt, &, intimè amauerunt: vt, populus Romanus, imperatores domeſtici, &, externi: per talium, inquam, exemplorum inductionem probare, ac iudicibus perſuadere conatur, Archiam eſſe commodis ciuium Rom. &, aliis beneficiis afficiendum. Primùm, autem, exemplum domeſticum, tale eſſe poteſt. Aphricanus maiior, vir præſtantiſſimus, honore affecit Ennium, propter artem poëticam. Ergo & nos Archiam, propter eandem artem, magnifacere debemus. Similium, enim, ſimilis eſt ratio. Antecedens amplificat. 1. à conſequentibus effectis. Aphricanum, enim, adeò amaſſe Ennium ait: vt, ipſum voluerit eſſe participem ſepulcri ſui, &, totius familiæ Scipionum: &, marmoratarum laudum. Secundò, amplificat ab alio effectu. quòd, hæ marmoratæ laudes, etiam populo Romano, Catoni: Maximis item, Marcellis, &, Fuluiis laudem pepererint. Ennius. ſcilicet poëta, qui ſcripſit Annales, &, hiſtoriam belli Punici ſecundi, verſibus Hexametris. quæ, tamen non extant. ſed excepti ex illis verſus aliquot apud Macrobium leguntur lib. 6. Saturnal. cap. 1. vbi, quomodo cum Virgílij congruant verſibus, oſtendit. Conſtat, enim, Virgilium, in lectione Ennij deprehenſum, ac, quid ageret interrogatum, reſpondiſſe: aurum ſe, ex Ennij ſtercore colligere. Marmoratis. met. ad. pro, ſub. pro, ſcriptis titulis, &, Epitaphiis, cippis inciſis. quibus ab aſpicientibus lectis, &, intellectis, laudantur præclari

viri:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

viri: vt Scipio, Cato Cenſorius, eiјus proauus, item, Ennius. decorantur. ſcilicet, iſto beneficio Scipionis, præſtito Ennio poëtæ. Ergo illum. Tertiò, illationem, ſiue, concluſionem, interrogatione exornatam, infert. qua præcedentia ad Archiam transfert. in qua ipſa concluſione amplificatio additur à minori, ſic. Ennius Rudiæ, ciuitate Calabriæ, natus: quæ, nullo ſocietatis fœdere cum Romanis iuncta eſt: ob res Romanas, &, laudes Romanorum verſibus comprehenſas, in ciuitatem receptus, &, amatus eſt. multò, igitur, magis Archias, Heracleæ, noſtræ ciuitati fœderatæ, aſcriptus: &, in hac quoq; noſtra, legibus Syllanis, &, Carbonis ciuis confirmatus: amandus, beneficiis ornandus, &, in ciuitate retinendus eſt. nam ſi. Quartò, eam rurſus amplificat prolepſi. Sic, enim, contra obiicere potuit aduerſarius, argumento à minori. Qui lingua Latina res Romanorum celebrauit, maiјorem gloriæ fructum in populum ſparſit: quàm, qui, lingua Græca. Sed Ennius, lingua Latina, Romanos laudauit. Is, igitur, maiiorem in populum ſparſit gloriam, quàm Archias. &, per conſequens, etiam magis dignus ciuitate. Ad hanc reſpondet, negando attributum antecedentis propoſitionis, &, illud ad Græcam linguam transferendo, argumento à genere, ſic. Gloria rerum geſtarum, ſcripta ea lingua, quæ ab omnibus gentibus legitur, multò maiior eſt, &, ad plures penetrat deuoluiturq;, quàm, quæ à ſuis ferè tantum hominibus, hoc eſt, Italis, legitur, &, vſurpatur. At, Græca lingua in omnibus ferè gentibus legitur, qua Archias etiam in ſcribendo vſus eſt. Igitur Gloria rerum geſtarum ſcripta ea lingua, quæ in omnibus ferè gentibus legitur: multo maiior in populum immittitur, quàm, ſcripta lingua Latina. Quare ſi. Concluſio eſt primi exempli, &, potiſſimùm huiius proximi argumenti, á genere petiti: exornata Apoſtrophe. quæ habet adhortationem ad prætorem, &, iudices, vt poëtas Græcos, &, Archiæ labores Græcos, in honore etiam habeant. ſi. pro, etſi. Orbis terræ regionibus. hoc eſt, licet imperium, &, virtus noſtra non poſſit exerceri, &, extendi per vniuerſam terram: ſed intra fines noſtros ſit quaſi concluſa, &, conſtricta. tela, pro, arma ſiue, virtus noſtra bellica. per meton. quo minus. hoc eſt, quò pugnando progredi non poterimus. Gloriam. ſcilicet, de rebus bellicis á nobis geſtis. Penetrare. pro, per ſcriptores ſpargi, propagari. Eodem modo locutus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

eſt Catullus: in extremos penetrare Indos. Cicero, verò, penetrare ad Deos, in domum, vrbem dicit. apud Plaut. ſic eſt: neq; vxorem habui, neq; habeo, neq; huc vnquam, poſtquam ſum natus, intra portam penetraui pedem. nam ſi ego intra ædes huiius, vnquam vbi habitat, penetraui pedem, omnium hominum exopto, vt, fiam miſerorum miſerrimus. Penetraui, igitur, verbo, pro ingreſſus ſum, vtitur.

Quod, cùm ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt: tum iis certè, qui, de vita, gloriæ cauſa, dimicant: hoc maximum, &, periculorum incitamentum eſt, &, laborum.

Occaſione ſumpta ex concluſione proximi argumenti, quod fuit à genere, inſerit hic obiter in exemplis adhuc aliam amplificationem, qua effectum, &, vtilitatem ſcriptorum poëtarum commendat ab alio nobili effectu: quòd, per ſcripta poëtarum, exteræ, &, peregrinæ gentes, ad quas ea perueniunt, ad virtutis actiones incitentur.

Quam multos ſcriptores rerum ſuarum Magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? atq; is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, ô fortunate, inquit, adoleſcens: qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. & verè. nam niſi illi ars exſtitiſſet illa: idem tumulus, qui, corpus eius contexerat, nomen etiam obruiſſet.

Alterum exemplum ſimile, externum eſt, ſiue, peregrinum, & Alexandri magni. qui, cum poëtas magno honore affecerit: ſequitur, quòd, alij principes, &, in primis iudices Romani, ſimiliter Archiam poëtam, magnifacere debeant. Antecedens, ſcilicet, quòd Alexander, poëtas magno loco habuerit: probat, primò ab adiuncto, alio adiuncto illuſtrato, &, amplificato. quòd Alexander ſecum habuit poëtas, &, quidem multos. vnde etiam colligitur, quòd, poëtas amauerit. 2. probat ab alio effectu Alexandri, illuſtrato à ſubiecto loco, &, adiuncta corporis poſitione. quia Alexander in Sigæo, promontorio Troiæ, ad

ſepul-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

ſepulcrum Achillis ſtans, prædicauit Achillem beatum propter Homerum. ex quo colligitur, quòd, poëtas magnifecerit. Apud Plutarchum in vita Alexandri ſcribitur: quòd, hic, cum in Ilium perueniſſet, peracto ſacrificio, Mineruæ, & , aliis ſemideis parentauerit. Deinde, ad Achillis ſtatuam cum ſociis vnguento delibutus, nudusq; de more circumcurrens, eam coronauit. &, eum felicem appellauit, quòd, eidem viuo, tam fidum amicum (Patroclum) mortuò verò, tam nobilem præconem ſuæ virtutis habere contigiſſet. ad tumulum. Illuſtratio prædicationis Alexandri, ab occaſione, ſiue, cauſa efficiente, quæ ſuggeſſit ei iſtam cogitationem in verba protuſam. & verè. Comprobat prædicationem Alexandri à iudicij ſui teſtimonio.

Quid noſter hic Magnus? qui cum virtute fortunam adæquauit? nonne Theophanem Mitilynæum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum ciuitate donauit? & noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici, ac, milites dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes eiuſdem laudis, magno illud clamore approbauerunt? Itaq;, credo, ſi ciuis Romanus Archias legibus non eſſet, vt ab aliquo Imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit?

Tertium exemplum eſt, domeſticum, & Pompeij Magni. à quo, cùm, vt inquit Orator: poëta quidam Græcus Mitylenæus, rerum ipſius ſcriptione, ciuitatem impetrauit: Igitur & Archias ab aliquo imperatore Romano, vel gratia, vel ſimili merito, ſi non eſſet ciuis Romanus legibus Syllani, &, Carbonis: ius ciuitatis acquirere potuiſſet. Hæc complexio eſt, ibi, Itaq; credo. & exornatur ironia, &, interrogatione, quæ vim habet affirmationis. & noſtri. Comprobatio facti Pompeij, quod in Antecedente eſt: à teſtimonio trium ordinum hominum, nimirum, fortium Imperatorum, ruſticorum, &, militum Pompeij: illuſtrato ab adiuncto eorum clamore, in quo πάθος, eſt. &, hoc adiunctum rurſus amplificatur à cauſa efficiente impulſiua; gloriæ iſtius dulcedine, præſtitæ Theophani, ab eorum imperatore.

Sylla, cùm Hiſpanos, &, Gallos donaret: credo hunc petentem repudiaſſet. quem nos in concione vidimus, cùm ei libellum malus poëta de populo ſubiecisſet: quód epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiuſculis: ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei præmium tribui ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet. qui ſedulitatem mali poëtæ duxerit tamen aliquo præmio dignam, huiius ingenium, &, virtutem in ſcribendo, &, copiam non expetiſſet?

Quartum exemplum domeſticum quoq; eſt, & Syllæ. & tractatur tum à pari, ſic: Sylla Hiſpanos, &, Gallos ciuitate donauit. igitur & hunc poëtam præſtantem impertitus fuiſſet. tum à minori, in hunc modum: Sylla præmio affecit malum poëtam. quidni, igitur, Archiam bonum imò excellentem poëtam, honore affeciſſet. de populo. *hoc eſt, vulgaris.* alternis verſibus. *ſcilicet, quales ſunt elegiaci. &, in Odis Horatianis multi inueniuntur.* ex his rebus. *hoc eſt poſſeſsionibus ciuium Romanorum, quas, deuicto Mario, &, iis iniuſtè proſcriptis, pro ſuis, vendebat. vt, Cicer. teſtatur lib. 2. offic. cum ait. Lucius Sylla, auſus eſt dicere, haſta poſita, cum bona in foro venderet, &, bonorum virorum, &, locupletum, &, certè ciuium: prædam ſe ſuam vendere. in quam tyrannidis cogitationem ex eo fortè incidit, quòd, ſuſpicaretur eos fuiſſe, partium Marianarum.*

Quid? à Q. Metello, Pio familiariſsimo ſuo, qui ciuitate multos donauit, neq; per ſe, neq; per Lucullos impetrauiſſet? qui præſertim vſq; eò de ſuis rebus ſcribi cuperet, vt, etiam Cordubæ natis poëtis, pingue quiddam ſonantibus, atq; peregrinum, tamen aureis ſuas dederet.

Quin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Quintum exemplum eiiuſdem generis cum ſuperiori eſt, à perſona Metelli. Hic, inquit Orator, qui, ciuitatem multis aliis impertitus eſt, etiam fortè non vſq; adeò magna familiaritate ſibi iunctis: multò faciliùs Archiæ, ſi petiiſſet, ius ciuitatis donaſſet. vnde, vult dicere, ſequitur indignum eſſe vos, iudices, eum reiicere velle. Conſequens propoſitionis veriſimile reddit, &, probat ab adiunctis, nimirum: quòd, Archias fuit familiariſſimus Metello, deinde quòd, Metellus fuit cupidiſſimus ad audiendum res ſuas. &, hoc oſtendit à minori, ſic: Metellus, tam vehementer cupiebat res ſuas ſcribi, vt, etiam Cordubæ, oppido Hiſpaniæ Bœticæ, natos poëtos, pingue, hoc eſt, craſſum, indoctum, vel, peregrinum aliquid loquentes, &, ſcribentes libenter audiret. igitur multò magis Archiæ aures ſuas dederet, &, ex eiius excellentiſſimo ingenio, ſuas res ſcriptas audiret.

Neq; enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt: ſed præ nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio: &, optimus quiſq; maximè gloriâ ducitur. ipſi illi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt. &, in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemq; deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari volunt. Decius, quidem, Brutus, ſummus ille vir, &, Imperator, Accij, amiciſſimi ſui, carminibus, templorum, ac, monumentorum aditus exornauit ſuorum. Iam verò ille, qui, cum Ætolis, Ennio comite, bellauit, Fuluius: non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare.

Poſtremum argumentum eſt, quo vtitur ad probandam alteram propoſitionis partem: ſumptum eſt ab effectu ad cauſam. Gloria immortalis à nobis omnibus quæritur, &, appetitur. Poëtæ excellentes, ſuis ſcriptis pariunt nobis immortalem gloriam. ergo poëtæ ſunt magni faciendi. maiiorem propoſitionem, Cicero in textu expreſſè ponit in loco

commu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

communi. ipſi illi philoſophi. *Declarat copioſè hunc locum communem, ſiue, generalem ſententiam, argumento diſtributionis. Multa, enim, exempla, veluti philoſophorum, qui modeſtiæ exemplo aliis prælucere voluerunt: item Decij, Bruti, Fuluij: &, ſuum deniq; proprium commemorat. ex quibus omnibus philoſophi, etſi de contemnenda gloria ſcripſerunt, nihilominus ſe gloriæ cupidos eſſe oſtenderunt eo, quòd, nomen ſuum, quo ad extremos etiam Indos penetrarent: libris ſuis inſcribi curauerunt. Sic quoq; Decius Brutus, conſul Romanus, &, imperator: templorum, &, monumentorum ſuorum veſtibulis, carmina appendi iuſsit, ſcripta ab Accio poëta, &, complectentia expugnationem Luſitaniæ, vſq; ad Oceanum per Brutum factam: & alia, quæ ſtrenuè, &, piè geſsit. Ad eundem modum, &, M. Fuluius nobilior, conſul. qui, comite Ennio in Ætoliam profectus, poſtquam rem ibi feliciter geſsiſſet, Martis manubias non dubitauit conſecrare Muſis. ex quibus omnibus veluti inductione, generalem ſententiam colligit, quòd, quandoquidem eiiuſmodi virtutis, &, modeſtiæ lumina, ita fuerint gloriæ cupida: ſequitur, cæteros omnes eijus multo audiores eſſe.* Martis manubias. *hoc eſt, prædam hoſtibus captam. quæ, ſic dicta eſt: quòd, manu capiatur. quanquam apud Gellium lib. 13. cap. 23. Fauorinus philoſophus paulò aliter diſputet. iſtam, autem, prædam Martis, ſiue, belli, vel in bello captam, per Meton. cauſæ: illam inquam, Muſis conſecrauit, hoc eſt, Fuluius, cum deuiciſſet Ætolos: ex pecunia prædatitia, Romæ, templum ſtruxit Herculis Muſarum.*

Quare, in qua vrbe Imperatores propè armati, poëtarum nomen, &, Muſarum delubra coluerunt: in ea non debent togati iudices à Muſarum honore, &, à poëtarum ſalute abhorrere.

Per argumentum parium, præcedentia exempla amplificat, &, ad iudices accommodat, ita arguendo: Viri præſtantes militari fortitudine, coluerunt poëſin. ergo etiam vos, iudices, togata fortitudine prædití, poëticen colere, &, Archiam á falſa Gracchi ſuſpicione, abſoluere, &, apud vos retinere debetis.

Atq;, vt id libentiùs faciatis iam me vobis, iu-

dices

dices, indicabo: &, de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortaſſe, veruntamen honeſto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute hujus vrbis, atq; imperij, &, pro vita ciuium proq; vniuerſa repub. geſſimus: attigit hic verſibus, atq; inchoauit. quibus auditis, quòd mihi magna res, &, iucunda viſa eſt: hunc ad perficiendum hortatus ſum. nullam, enim, virtus aliam mercedem laborum, periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis, &, gloriæ. qua, quidem, detracta, iudices, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, &, tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? certè ſi nihil animus præſentiret in poſterum, &, ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neq; tot curis, vigiliiſq; angeretur, nec totiens de vita ipſa dimicaret. nunc inſidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ noctes, &, dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atq; admonet: non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri: ſed, cum omni poſteritate adæquandam. An, verò, tam parui animi videamur eſſe omnes, qui in repub. atque, in his vitæ periculis laboribuſq; verſamur: vt, cùm vſq; ad extremum ſpatium, nullum tranquillum, atq;, ocioſum ſpiritum duxerimus: nobiſcum ſimul,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

moritura omnia arbitremur? An, cùm ſtatuas, &, imagines, non animorum ſimulachra, ſed, corporum: ſtudioſè multi homines reliquerunt: conſiliorum relinquere, ac, virtutum noſtrarum effigiem nónne multò malle debemus, à ſummis ingeniis expreſſam, &, politam. ego, verò, omnia, quæ gerebam, iam tum in gerendo ſpargere me, ac, diſſeminare arbitrabar in orbis terræ memoriam ſempiternam.

Suum proprium exemplum iam adducit. &, commemorat, quanto is ardore laudis flagret. Nam, quas res. ſuam cupiditatem gloriæ fuſiùs exponit ab effectu. Dicit, enim, Orator, quòd poſtquam audiuiſſet Archiam accinctum fuiſſe ad ſcribendum res ſuas, in conſulatu geſtas, &, in primis repreſſionem Catilinariam: quòd, inquam, eum hortatus ſit ad opus perficiendum. &, huiius rei rationem annectit repetitione præcedentis generalis ſententiæ de ſtudio gloriæ omnibus innato. quam, & finem duntaxat omnium ſuorum laborum, &, periculorum pro repub. habitorum deſiderat: &, beneficio verſuum Archiæ, immortalem fore expetit. Illuſtratur, autem, hic finis ornamentis Rhetoricis, apoſtrophe, &, interrogatione. &, amplificatur confirmaturq́ à contrariorum effectuum oppoſitione, & comparatione. quæ hoc ſyllogiſmo connexo concluduntur, ſic: Niſi ſpes eſſet ob virtutem, laudis, & gloriæ immortalis, nullus noſtrûm, iudices, foret, qui, ſe tot laboribus, & periculis exponeret. Sed, nunc in cuiiuſlibet noſtrûm animo inſidet talis ſpes. Igitur tot laboribus, &, periculis nos obiicimus. Propoſitio inchoata hîc, qua quidem detracta: terminatur ibi, nec toties de vita dimicaret. Aſſumptio, quæ, ibi eſt, nunc inſidet: per Iſodynomian quadrupliciter variatur. quare, & hic locus, propter copiam orationis, ſtudioſis politioris literaturæ diligenter notandus, &, imitandus eſt. primus modus, ibi eſt, qua detracta. ſcilicet virtuti. 2. ibi, certè ſi nihil animus præſentiret. hoc eſt, ſi animus, nullam ſperaret rerum ſuarum immortalitatem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tem. vt, quidèm ſperdt. 3. *ibi*, ſi quibus regionibus. *pro, ſi animus ſtatueret ſe ſuamq; virtutem cum corpore deſituram, &, hac ratione mortalem futuram. vt, non ſtatuit.* 4. *ibi*, nunc inſidet. *pro, optimus quisq; hoc perſuaſum habet, non cum ipſo corpore, nomen noſtrum interiturum. &, hic modus, iterum per ſuum contrarium, illuſtratur, & variatur, ibi*, ſed cum omni poſteritate adæquandam. *Complexio, quæ ibi incipit* quid eſt quod in tam. *poſtea repetitur, & aliquoties variatur etiam per Iſodynomian. Primus modus ibi eſt*, nec tantis ſe laborib. frang. 2. ibi, neq; tot curis. 3. neq; toties de vita. An, verò, tam parui. *Vrget aſſumptionem interrogatione, habente vim negationis: &, communicatione, qua ad iudicum teſtimonium appellat. quaſi diceret. an non indignum, iudices, nobis omnibus eſt, ſtatuere omnia nobiſcum interitura. vult dicere: maximè indignum eſt tantis viris. qui, potiùs in hac vita eam ob cauſam tot labores ſuſcipimus, vt, poſt mortem noſtram, beneficio literarum, &, præcipuè artis poëticæ: perpetuò laudemur, &, beati iudicemur. Atq;, ita eſt elegans ſententia Ethica, de fine philoſophico actionum honeſtarum.* An, cum ſtatuas. *Pergit in exaggeranda, &, illuſtranda aſſumptione, à minorum collatione. quæ, in exemplo latet. Multi præſtantes viri, ſtatuas, & imagines ſuorum corporum poſt mortem reliquerunt, in perpetuam ſui memoriam. multò, igitur, magis debemus animorum, hoc eſt, actionum noſtrarum honeſtarum, imaginem & picturam, doctorum hominum, &, præſertim poëtarum excellentium, qualis Archias eſt, ſcriptis relinquere. cum animi dotes ſint, longè præſtantiores, corporis.* ego verò. *Apodoſin illuſtrat à ſuo exemplo. quod antea vſurpatum, hîc repetit, vt oſtendat, nos homines vehementer de gloria ſolicitos eſſe.*

Hæc, verò, ſiue à meo ſenſu poſt mortem abfutura ſunt: ſiue, vt ſapientiſsimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt: nunc, quidem certè, cogitatione ſpeq; delector.

Concluſio eſt argumentorum, quæ fuêre pro ſtatuenda gloria, poſt hanc vitam, ſempiterna. de quo, etſi hîc dubitare quidem videatur: Orator nihilominus mox iſtam dubitationem corrigit, verè ſtatuendo ani-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

mam, ſolutam his corporis compagibus, non tam omnis mortalitatis expertem, quàm, virtutis ſuæ gloriam, omni interitu maiiorem, futuram fore. &, hoc confirmat teſtimonio generali ſapientiſsimorum philoſophorum idem ſentientium. Puto, autem, eum intelligere magnæ Græciæ ſapientes. & inprimis, Socratem. qui, vt eſt apud Ciceronem de Amicitia: animos hominum diuinos eſſe, iisq́, cum è corpore exceßiſſent, reditum in cœlum patere, optimoq́ & iuſtiſsimo, expeditiſsimum ſemper dicebat. &, apud Xenophontem, moriens Cyrus maijor, hanc concionem ſpei immortalitatis, &, conſolationis pleniſsimam, habuit: Nolite arbitrari, ô mihi cariſsimi filij: me, cum à vobis diſceſſero, nuſquam, aut, nullum fore. Nec, enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex his rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem, igitur, eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis.

Quare conſeruate, iudices, hominem, pudore eo, quem amicorum ſtudiis videtis comprobari: tum dignitate, tum venuſtate: ingenio, autem, tanto, quanto id conuenit exiſtimari, quòd, ſummorum hominum ingeniis expetitum eſſe videatis: cauſa, verò, eiuſmodi, quæ beneficio legis, autoritate municipij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cùm ita ſint: Petimus à vobis, iudices, ſi qua non modo humana, verùmetiam diuina in tantis negotiis commendatio debet eſſe; vt eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Rom. res geſtas ſemper ornauit: qui etiam his recentibus noſtris, veſtrisq́ domeſticis periculis æternum ſe teſtimonium laudum daturum ſe eſſe profitetur: isq́ eſt eo numero, qui, ſemper apud omnes, ſancti ſunt habiti, atq́ dicti: ſic in veſtram accipiatis fidem, vt, humanitate veſtra leua-

tus po-

tus potiùs, quàm, acerbitate violatus eſſe videatur. Quæ, de cauſa pro mea conſuetudine, breuiter, ſimpliciterq; dixi, iudices, ea confido probata eſſe omnibus: quæ, non fori, neq;, iudiciali conſuetudine, &, de hominis ingenio, &, communiter de ipſius ſtudio locutus ſum; ea, iudices, à vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta: ab eo, qui, iudicium exercēt, certè ſcio.

Hactenus ergo, Confirmatio, &, Refutatio fuit. reſtat nunc vltima pars Orationis, Epilogus ſiue peroratio. quæ, cum nihil aliud ſit, quàm, repetitio propoſitionis, &, concluſio: in qua breuibus omnia, vel, certè præcipua argumenta repetuntur, &, affectus vehementiores mouentur, vel, ad clementiam, &, defenſionem: vel, ad ſupplicium, &, vindictam: propterea Orator hîc quoq; non modo propoſitionem repetit, &, concludit: ſed, breuiter etiam præcipua argumenta iudicibus in memoriam reuocat: tam, quæ erant commendationis perſonæ, quam, cauſæ, & meritorum Archiæ. His annectit petitionem pro Archia, vt, iudices ob commemorata argumenta, eum humanitate, &, ciuitate ſua dignentur. Tum ſubiungit generalem quandam recapitulationem, ſiue, repetitionem rerum tractatarum: quarum prima fuit, de cauſa, ſiue, iure ciuitatis Archiæ. altera, deiis, quæ, ad cauſam per ſe tenuem illuſtrandam, &, amplificandam addidit: nimirum de humanitatis, &, literarum ſtudiis. quibus poſitis, quid de vtraq; re ſibi apud iudices perſuadeat, teſtatò indicat. Pudore eo. *Prima pars perorationis eſt. in qua duo priora argumentorum genera Orator repetit. Primi initium hîc eſt: alterius ibi,* Cauſa verò. Quæ cum ita ſint. *Altera pars perorationis, Petitio. in qua parte indicat, tertium argumentorum genus, quod, fuit effectorum ſiue, meritorum Archiæ.* Quæ, de cauſa. *Tertia pars perorationis.*

Atq;, hoc ſit dictum de Analyſi, Generali, &, Speciali: propoſita ſtudioſæ iuuentuti, in Orationem Ciceronis pro Archia poëta. quam à nobis 27. April. incoatam, 31. ſiue, vltimo, Maij, An. vt ſupra, auxilio diuino freti, feliciter abſoluimus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

PHILOSOPHICA.

1.

Omnes artes, quæ, ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, &, quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.

2

Omnia in tenebris iacerent, niſi literarum lumen accenderet.

3.

Literarum monumenta efficiunt, vt, quò minus viri præſtantes peruenire poſſunt, eòdem gloria, &, fama eorum penetret.

4.

Cum, ad naturam eximiam, atq;, illuſtrem acceſſerit ratio quædam conformatioq; doctrinæ, tum illud neſcio, quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.

POETICA.

1.

Studia poëtica ſuppeditant, refocillationem animi, variis curis, &, angoribus defatigati.

2.

Studia poëtica augent dicendi facultatem.

3.

Hæc quoq; ſtudia docent, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem, & honeſtatem. in ea, autem perſequenda: omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atq;, exilij, parui eſſe ducenda.

4. Cæte-

4.

Cæteræ artès, neq; temporum ſunt, neq; ætatum omnium neq; locorum: hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium & ſolatium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

5.

Cæterarum artium ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtant: Poëta, natura valet, &, mentis viribus excitatur: &, quaſi diuino quodam ſpiritu, afflatur.

PHYSICA.

I.

Corporis artificioſa, &, venuſta agilitas, mirum in modum animos hominum ſui amore concitat: Sed, multò magis animi motus, &, celeritas ingeniorum.

2.

Sæpiùs ad laudem, atq; virtutem natura ſine doctrina, quàm, ſine natura, doctrina valuit.

ETHICA, SIVE, MORALIA.

I.

In Exordio orationis, obſeruandum, & imitandum ſtudioſis eſt, exemplum diligentiæ Ciceronis. qui confitetur ſe omni ætate deditiſsimum fuiſſe ſtudiis humanitatis. vnde ſtudioſos admonitos vult: con-

tinua-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tinuata ſtudia, prodeſſe: diſcontinuata, nocere.

2.

Decet diſcipulum, gratam memoriam beneficiorum, à præceptore acceptorum, perpetuò recolere. &, eam, vbi vſus erit, reipſa declarare.

3.

Præceptores boni, &, docti, duces ſunt diſciplinæ, &, vitæ honeſtè tranſigendæ. vnde Alexander dicebat, ſe Ariſtoteli præceptori non minus debere, quàm patri. quòd, à patre viuendi: à præceptore, benè viuendi initium accepiſſet.

4.

Honeſta excuſatio in vſu rei inuſitatæ, laudabilis.

5.

Fama virtutis præſtantis, conciliat notitiam, &, gratiam multorum, &, præſertim magnorum hominum.

6.

Eſt ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere, quæ habere non poſſumus: &, de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare.

7.

Honeſtum eſt, ſtudiis literarum deditum eſſe, &, ex iis deformatos adoleſcentiæ fructus, oſtendere.

8.

Pudor eos maneat, qui, ſe literis ita abdiderunt, vt, nihil poßint ex his, neq; ad communem

affer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

afferre fructum, neque in aſpectum lucemq́ proferre.

9.

Quatuor ſunt cauſæ, quæ impediunt, &, corrumpunt ſtudia literarum, quo minus felicem, &, optatum finem conſequantur.

1. *Priuatum commodum. huius, enim ſpe, multi abiiciunt ſtudia literarum, &, ſe ad quæſtuoſiores artes conferunt: exiſtimantes ſe plus ex his, quàm illis, lucri capere poſſe.*

2. *Ocium turpe. nam, vt ait Sophocles,* τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαῖα σχολή, θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται. *hoc eſt, nihil parit boni ocium inane, Deusq́ ocioſis non adeſt. &, Lucanus: Variam ſemper dant ocia mentem.*

3. *Eſt, voluptas illicita. de qua ſic Claudianus:*

> *Quippe, nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,*
> *Quantum ſola noces, animis illapſa voluptas.*

Et, Cicero de ſenect. diuinus Plato, eſcam malorum, voluptatem appellat, quòd, ea videlicet homines capiantur, vt hamo, piſces.

4. *Somnus immodicus, & intempeſtiuus. turpe, enim eſt, vt inquit Silius lib. 3. totam ſomno conſumere noctem. & Plaut. in Moſtel· non bonus eſt ſomnus, de prandio. hic namq́, multorum morborum cauſa eſt, &, parens. id quod inter documenta, ni fallor, de conſeruanda valetudine ex ſchola Salernitana pro-*

dita; &, ad Anglorum regem perſcripta: & hi verſus teſtantur.

Febris, pigrities, capitis dolor, atq; Catarrhus,
Hæc tibi proueniunt, ex ſomno meridiano.

Quare Ageſilaus, ſomno ſe vti dicebat, non vt domino, ſed vt rebus agendis ſeruienti. οὐ δεσπότῃ, ἀλλ', ἀρχομένῳ ὑπὸ τῶν πράξεων. *Plutarch.*

10.

Oportet homines de populo, dona eruditionis, &, virtutis excellentia in aliis ſuſpicere, &, admirari. quæ, neq; attingere, neq; ſenſu vllo guſtare potuerunt.

11.

Nemo, tam auerſus à Muſis eſt, qui, non mandari literis æternum ſuorum laborum præconium facilè patiatur.

12.

Hoc non eſt diſſimulandum, quod, obſcurari non poteſt, ſed, pro nobis ferendum: trahimur omnes ſtudio laudis: &, optimus quiſq; maximè gloriâ ducitur.

13.

Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis, &, gloriæ.

14.

Inſidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ, noctes ac dies, animum gloriæ ſtimulis concitat.

15.

Inſita virtutis perſuaſio admonet: non cum vitæ

tempo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed, cum omni poſteritate, adæquandam.

16.

Vita humana plena periculorum, &, laborum: nullum ferè vnquam tranquillum, atq;, ocioſum ſpiritum ducere concedit, vſq; ad extremum ſpatium.

POLITICA.

1.

In foro, communiter nil niſi forenſe tractandum.

2.

Ius ciuitatis, eiiuſdem legibus, ſolùm ferè conceditur.

3.

In adminiſtranda rep. exempla & imagines excellentium virorum monumentis literarum depictas, gubernatores ſibi cogitatione propoſitas habeant.

4.

Cenſus, non ius ciuitatis confirmat: ac tantummodo indicat eum qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſſiſſe pro ciue.

IVRIDICA.

1.

Honeſtas & dignitas perſonæ tollit ſuſpicionem falſi teſtimonij. Iuſtin. §. fin. inſtit. tit. de ſuſpectis tutorib.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

2.

Teſtimonium, &, fides boni viri, nullo modo deprauari aut repudiari debet.

Finis Didagmatum.

ERRATA GRAVIORA, QVÆ, LIBRARIO irrepſerunt, ſic reſtituantur.

A 3. facie 2. linea 32. lege orationem. A 4. f. 1. l. 10. ſeu potius. & f. 2. l. 2. reſpondet. B 4. f. 1. l. 31. quod, non eſt καθ᾽ ὅλȣ. *C 2. f. 1. l. 22. ciuitatibus aſcriptus fuit. & f. 2. l. 14. Lacedæmoniorum. C 3. f. 2. l. 6. ſuarum vxorum. & l. 33. indicat, quod. C 4. f. 2. l. 3. aliquot eiius. D 1. f. 1. l. 6. vir conſularis. & l. 28. ſomno. F 4. f. 2. l. 11. per ſe Brutum G 1. f. 2. l. 28. per Iſodynamian. ſicut G 2. f. 1. l. 8. idem legito. & l. 33. videatur Orator: vt colon, ſit poſt Orator, & non, poſt videatur.*

Hæc errata, humaniſſime lector, in meliorem partem accipere rogaris: &, ſi quæ fortè alia, tua accuratione deprehenderis, eodem modo benignè corrigere.

RATIO, IVDEX, ET, AVRIGA.

Soli omnis veritatis fonti, gloria.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 501 4° copy 1